






ETHICÆ

SEU

PHILOSOPHIÆ MORALIS

INSTITUTIONES

Piccadori

Vol. II. 2

1828

ETHICÆ

SEU

MORALIS PHILOSOPHIÆ INSTITUTIONES

ETHICÆ

SEU

MORALIS PHILOSOPHIÆ INSTITUTIONES

EXARATÆ

A P. IO. BAPT. PICCADORI

REATINO

CLER. REG. MIN. PRÆP. GEN., SACRÆ CONGREG. INDICIS CONSULTORE, SUPREMÆ INQUISITIONIS QUALIFICATORE, MEMBRO ROMANI COLL. PHILOL. ET PLUR. ACADEMIARUM, NEC NON IN ROM. ARCHI-GYMN. ETHICÆ ANTECESSORE.

Vol. Secundum.

ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA SALVIUCCI

1828.

Venumdantur ab Editore Pio Cipicchia

In Platea Sciarra N.° 323.

ETHICÆ
SEU PHILOSOPHIÆ MORALIS INSTITUTIONES

LIBER QUARTUS

DE NATURALIBUS HOMINIS OFFICIIS ERGA ALIOS HOMINES.

CAPUT I.

De Naturali ad invicem hominum statu morali.

§. 224. Status moralis nomine intelligitur illa humanæ vitæ conditio, in qua homo vel perpetuo vel ad certum tempus constitutus est ad certum moralium actionum genus obeundum. Quamvis autem sit multiplex, omnes tamen ad tres facile revocantur, scilicet naturalem, civilem, et gentium.

§. 225. Status naturalis non hic accipitur, prout distinguitur a supernaturali (hæc enim consideratio Theologorum est propria), sed prout distinguitur a politico, seu civili, ideoque definitur: « ea vivendi conditio, in qua homo primitus positus fuit solis naturæ, ac divino positivis legibus obstrictus »; ad differen-

tiam status civilis, qui definitur: « ea vivendi conditio, quæ multiplicatis hominibus, natura ipsa suadente, introducta est inter homines, et subjectionem importat nedum naturalibus, et positivo divinis, sed etiam civilibus legibus ». Denique cum non omnes homines, qui ad civilem statum transierunt, unam eamdemque civilem societatem constituerint, sed plures a se mutuo independentes, quæ Nationes, et Gentes dici sueverunt; hinc status gentium ortum habuit, qui definiri potest: « ea gentium vivendi conditio, in qua ipsæ solis naturæ ac divino positivis legibus obstrictæ sunt »; præscindendo nimirum a mutuis particularium gentium pactis, et conventionibus.

§. 226. Porro de naturali hominum statu juxta nostram definitionem (§. 225.) accepto mirum, quot fabulæ nedum a Poetis, sed etiam a Philosophis prolatæ sint. Rousseau in primis quamvis in lib. *de origine, et fundamentis inæqualitatis inter homines* dicat: « negandum homines etiam ante diluvium repertos unquam fuisse in puro statu naturæ, nisi forte in eum inciderint ob extraordinarium aliquem eventum: paradoxum ad defendendum incommodum, ad probandum impossibile »; nihilominus paulo post subdit: « O homo cujuscumque sis regionis, et opinionum audi: en tuam historiam, quam legere credidi non in libris tuorum similium (quorum nomine forte Moysen quoque comprehendit), qui mendaces sunt, sed in

natura, quæ nunquam mentitur ». His autem præmissis, homines in primæva sui conditione, spectata eorum natura describit perfectioribus quidem, quam cætera alia organis instructos, sed longe imbecilliores. Nihilominus, prosequitur Rousseau, « ob agrestem, durioremque in nemoribus, et specubus absque domibus ac tectis vivendi rationem magnum comparati robur, et assidua cum bestiis inita pugna, ut se defenderent feroces truculentique effecti vix ullis obnoxii erant morbis, eamdemque roboris constitutionem in filios transfundebant. Primæ autem eorum operationes mere naturales fuere, imo imitantes ipsi bestiarum industriam ad eorum industriam pervenerunt. Quare nihil egerunt homines illi, quo supra sensibiles animalesque motus assurgerent; ideoque nulla in eis erga Deum Religio fuit, nulla ergo alios homines benefaciendi voluntas, nisi belluarum more ad explendam libidinem, nulla honesti vel inhonesti idea, imo nulla prorsus idea universalis, nullus sermo, nulla rerum futurarum cura, in hoc tantum a bestiis differentes, quod libertate careant, homines vero illi libertate uti poterant, et fieri rationis compotes, quod tamen nonnisi post multa sæcula evenit ». Hunc autem hominum statum ad brutorum conditionem dejectum non modo extollit et sociali statui præfert, optabilioremque esse dicit, sed ejus perfectibilitatem, ut vocat seu capacitatem transeundi a statu illo stupiditatis ad statum

socialem deflet ac deplorat, tanquam omnium malorum fontem. Hinc merito Voltaire citatum Rousseau libellum nuncupat *codicem contra genus humanum*; indeque subdit, « nunquam tantum ingenii adhibitum est ad volendum nos reddere bestias ». Verum idem Voltaire *in historia philosophica Cap.* 3. juxta morem omnium impiorum sibi contradicens docet, « genus humanum diu permansisse in brutorum statu ».

§. 227. Magis hac in re speciosa est sed æque absurda opinio Puffendorfii, qui primi legis naturalis principii a se admissi nempe socialitatis oblitus, nec non status domestici juxta ipsum ex instituto naturæ viro uxore et filiis coalescente, ac denique vitæ solitariæ per ipsum (*De origin. Jur. Cap.* 5. §. 25) legi naturæ repugnantis, nisi ob societatis commodum suscipiatur, *Lib.* 2. *Juris Nat. ac. Gent. Cap.* 2. §. 2. hæc habet. « Ut status naturalis, faciem animo concipere queamus, qualis is citra ulla subsidia aut inventa humana, aut divinitus homini suggesta futurus fuerat, fingendus nobis est homo undecumque in hunc mundum projectus, ac sibi soli plane relictus citra omne subsidium humanum post nativitatem ipsi accidens, et quidem ut non amplioribus animi corporisque dotibus sit instructus, quam nunc nulla prævia cultura deprehenduntur, neque eundem peculiari Numinis cura foveri ». Post hæc pergit Puffendorfius, et miserrimam ejusdem hominis conditionem describit parum a belluarum

conditione discrepantem, sive infans ille ponatur esse, sive justa jam statura et robore præditus.

§. 228. Denique Hobbesius quamvis in opere, cui titulus *Leviathan*, fateatur homines a natura destinatos esse ad aliquam inter se societatem habendam, ait enim :« Verum quidem est, homini per naturam, sive quatenus est homo, idest statim ac natus est solitudinem perpetuam molestam esse. Nam infantes ad vivendum adulti ad bene vivendum aliorum ope indigent. Itaque hominem alterum alterius congressum natura cogente appetere, non nego ». Nihilominus *Lib. de Cive Cap.* 1. Naturalem hominum statum definit « statum belli omnium in omnes ».

§. 229. Nos ergo, quibus maxime cordi esse debet perniciosa hujusmodi commenta profligare, demonstrabimus: 1. hominem ab auctore naturæ destinatum esse ad societatem cum aliis hominibus habendam; 2. hanc societatem fuisse natura sua pacificam.

§. 230. Et primo quidem hominem ab Auctore naturæ destinatum esse ad societatem cum aliis hominibus habendam, satis innuit ejus conditio, quæ talis est, ut generatim loquendo nunquam sibi sufficiat, sed aliorum auxilio semper indigeat. Inermis enim nascitur, inermis vivit, a belluis celeritate ac viribus superatur, per plures infantiæ ac pueritiæ annos rectoribus eget: in ipsa adolescentia, juventute, virilitate pluribus animi corporisque morbis ob-

noxius est, quos ut plurimum sine aliorum subsidio superare non potest: senio tandem confectus eamdem ac in infantia virium imbecillitatem, eamdemque directionis necessitatem experitur. Quæ sane omnia efficere debent, ut homo, natura ipsa monente, aliorum hominum societatem avidissime quærat. Unde merito Libanius *Declam.* 19. ait: « Natura hominem homini adjutorem et socium vitæ effecit ». Et Plinius *Hist. Nat. Lib.* 9. *Cap.* 46.: « Vir virum, et urbs servat urbem. Manus manum lavat, et digitus digitum. Salus omnis in sociis ». Quibus omnino concinit Seneca *Lib.* 4. *de Benefic. Cap.* 18. dicens: « Quo alio tuti simus, quam quod mutuis juvamur officiis? Fac nos singulos: quid sumus? prædæ animalium et victimæ, imbecillimus et facillimus sanguis. Quoniam cæteris animalibus in tutelam sui satis virium est: quæcumque enim vaga nascuntur, et actura vitam segregem armata sunt. Hominem imbecillitas cingit: non unguium, non dentium vis terribilem cæteris facit. Nudum et infirmum hominem societas munit. Societas homini animalium dominium dedit. . . . Hæc morborum impetus arcuit. Senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolorem dedit: hæc fortes nos facit, quod licet contra fortunam advocare. Societatem tolle, et unitatem generis humani, qua vita sustinetur scindes ». Quid plura? ipsæ sacræ litteræ clamant: « non est bonum hominem esse solum: melius est esse duos, quam unum;

habent enim emolumentum societatis suæ: Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se ».

§. 231. His accedit, hominem ab Auctore naturæ pluribus donatum esse facultatibus copulandæ societati aptissimis, quæ illa sublata forent prorsus inutiles. Talis facultas, varios animi sensus, voce articulata, vultu, gestibus, aliisque externis signis in particulari exprimendi, dum cætera animalia solum in communi suas passiones exprimere possunt: Talis eximia dexteritas ad artes: tale ingenium scientiarum longe capax: tales tot aliæ egregiæ animi dotes, quæ profecto sublata societate penitus otiosæ atque incultæ mansissent. Id ipsum dicendum de communibus hominum affectibus. Nemo in primis est qui ex ingenita propentione non amet suos dolores in amicorum sinu exonerare; nemo qui propriam lætitiam in aliorum veluti gremium effundere non gestiat; nemo fere qui vitam omnino segregem in solitudine ducere velit, ne cum infinita quidem (ut verbis utar *Tullii Lib.* 3. *de Finibus Cap.* 20.) voluptatum abundantia; nemo qui non cupiat bonam sibi famam apud alios comparare; nemo tandem qui commiserationis, et beneficentiæ sensibus aliquando saltem non urgeatur. Atqui Deus et natura, ut vulgatissimum fert adagium, nil frustra operatur. Ergo etc.

§. 232. Denique ipsemet Rousseau *Tom.* 1. *Pag.* 4. ait: « Nos nascimur debiles, quare in-

digemus viribus: nascimur omni re destituti, unde indigemus assistentia: nascimur stupidi, unde indigemus prudentia. Totum id quo cum nascimur caremus, et quo opus habemus, quod sane multum est, nobis educatione donatur ». Educatio autem, ut patet, haberi non potest sine parentum, et filiorum societate. Imo idem Rousseau in ipso libro *de origine et fundamento inæqualitatis inter homines* docet: 1. perfectibilitatem, seu potentiam se perficiendi esse maxime specificum hominis a brutis discrimen; 2. homini a natura insitum esse vividum commiserationis sensum, qui solus sufficiat ad eum avocandum ab injuria aliis irroganda; 3. ex hac una qualitate sociales omnes virtutes fluere, magnanimitatem, clementiam, humanitatem, benevolentiam, amicitiam etc.; 4. naturam homini dedisse virtutes omnes sociales in potentia. Quorsus autem hæc omnia, nisi ut homo cum aliis hominibus habeat societatem, ideoque merito dicatur naturaliter sociabilis?

§. 233. Nec dicat Rousseau « hominem etiam in statu silvestri et belluino sociabile animal dici potuisse, quia libertatem habebat, ut se perficeret, ac societatem cum aliis hominibus iniret ». Nam loco citato diserte docet, hominem ex instituto naturæ sic esse constitutum, ut solitariam agat vitam, et nonnisi ex fortuito concursu multarum causarum extranearum in societatem convenisse. Et quamvis in homine perfectibilitatem agnoscat, et per

eam ipsum a brutis differre fateatur, (ait enim: « Natura imperat cuilibet animali, et bestia obtemperat. Homo eamdem impressionem experitur, at se liberum cognoscit ad acquiescendum, aut resistendum, atque hujus libertatis conscientia potissimum demonstratur ejus animæ spiritualitas ») in hoc tamen ipso secum pugnat. Nam si homo etiam in statu primitivo libertatem habebat ad acquiescendum, aut resistendum, proindeque poterat libere se perficere, aut non perficere, et societatem cum aliis hominibus inire, aut non inire, idque postulabat ejus animæ spiritualitas, quomodo in statu primitivo omnes hominis actiones erant (§. 226) mere animales et sensibiles? Numquid animales tantum sunt actiones liberæ? Et si tales forent, quomodo ex iis demonstraretur animæ humanæ spiritualitas?

§. 234. Nec etiam dicat Rousseau: «Nemo potest in cognitionem status naturalis hominis devenire, nisi eum exuat omnibus donis supernaturalibus, omnibusque facultatibus artificialibus. Si autem his omnibus exuatur, silvestris erit, solitarius, et sensationibus tantum instructus». Nam 1., dona supernaturalia non destruunt, sed perficiunt naturam, et cum in eodem subjecto reperiantur, idem considerari potest in statu naturali, prout est cum donis naturalibus, et in statu supernaturali cum donis supernaturalibus. Deinde quamvis hisce, nec non omnibus facultatibus artificialibus exua-

tur homo, pluribus aliis præter sensationes locupletatus est donis naturalibus ad lineam intellectivam pertinentibus.

§. 235. Non dicat 3. Rousseau: « Usum sermonis non esse homini naturalem, ideoque homines in statu naturali nullum habuisse sermonis usum, proindeque nullas ideas universales, quæ nonnisi verborum ope acquiri possunt, nec aliter percipi, quam per propositiones vocibus ac terminis expressas ». Nam 1., quamvis homini naturale non sit hoc, vel illo idiomate uti, ipsi procul dubio naturalis est usus sermonis generatim accepti. Deinde falsum est sine usu sermonis nullas acquiri posse ideas universales, nam voces sunt signa idearum, ideoque voces ab ideis, non istæ ab illis pendent. Hinc surdi et muti a nativitate multa cognoscunt, et addiscunt, quæ sine ratiocinio, proindeque sine ideis universalibus cognosci, et addisci non possunt. Atque hic notandus error Christiani Thomasii *Introd. in Leg. Cap.* 3. §. 24. docentis: « surdum a nativitate nullatenus posse cogitare, quia cogitare non aliud est, quam sibimetipsi loqui». Imperitus nescivit distinguere inter internam et externam locutionem, inter verbum oris, et verbum mentis.

§. 236. Non dicat 4.: « Statum illum homini naturalem dicendum esse, in quo validiores forent vires, functiones mere animales, minima desideriorum quantitas, et facilitas ea adimplendi, quæ omnia de statu silvestri, et belluino ve-

rificantur ». Nam etiamsi hæc vera essent, quæ poetice finguntur, non tamen probarent hominem in illo statu fuisse a natura constitutum: præstantia enim unius status præ alio ex pluribus elementis resultat, quæ omnia non enumeravit Rousseau.

§. 237. Non denique dicant ejus asseclæ: « plures etiamnum homines in Affrica, America etc. silvestrem et belluinam vitam ducere, quæ proinde omnibus olim hominibus communis censeri debeat». Nam ex viatorum relationibus constat Urrones, Auttentotos, Laponios, aliosque a Rousseau, ejusque asseclis citari solitos, aliquam inter se habere societatem, et aliquem sermonis usum. Exempla autem unius vel alterius hominis inter feras enutriti, et nescii loqui, non sunt ad rem.

§. 238. Exploratum ergo est, homines, ut ab initio diximus ab Auctore naturæ destinatos esse ad societatem cum aliis hominibus colendam. Atqui status belli omnium in omnes non est, ut patet, status societatis, sed maximæ dissociationis. Non ergo ad bellum, ut contendit Hobbesius, sed ad pacem homines natura formavit, ideoque nonnisi per accidens ex peculiari hominum malitia, aut ignorantia, etiam in statu mere naturali bellum inter ipsos erumpere potuisset.

§. 239. Sed jam Hobbesium audiamus: « In statu mere naturali, inquit ipse, seu antequam homines ullis pactis se invicem obstrin-

xissent, omnia erant communia, et unicuique licebat facere quæcumque et in quoscumque libebat, et possidere, uti frui omnibus, quæ volebat, et poterat. Jam vero frequentissime accidit, quod multi simul unam eamdemque rem appetant, qua tamen nec frui communiter, nec eam dividere possint: unde sequitur, fortiori dandam esse: quis autem sit fortior, pugna judicandum est. Deinde maximum est certamen ingeniorum, ex quo necesse est oriri maximas discordias. Tandem nonne quia cæteros homines tanquam naturales hostes timemus, etiamnum in itinere comites quærimus, et arma gestamus, nec non dormitum euntes fores claudimus? Nonne Reges eadem de causa se mutuo semper timent arcibus et præsidiis ad ostia collocatis, et exploratoribus in ostio latitantibus, ut in bello? His accedit, homines naturaliter vel modestos esse id ipsum aliis, quod sibi permittentes, vel ferocis ingenii omnia ad se trahere cupientes: at iis naturaliter inest voluntas lædendi; illis vero necessitas se defendendi: ergo naturalis hominum status certo certius est status belli omnium in omnes ».

§. 240. Hujusmodi objectiones contra nostram doctrinam (§. 229.) prima fronte admodum speciosæ videntur; at penitus consideratæ facillime diluuntur. Nam in statu mere naturali omnia erant communia, non communione positiva, qua singuli jus haberent cæteros a communium rerum possessione, usu, et

fruitione excludendi, quia sic jus unius absorberet jura cæterorum, sed communione negativa, qua nemini jus erat cæteros a rerum facto legitimo non occupatarum usu excludendi.

§. 241. Similiter illud Hobbesii principium, quod natura unicuique dederit jus in omnia si de jure intelligatur concurrendi ad omnia facto legitimo ab aliis non occupata, verum est: falsum autem si de jure intelligatur acta omnia possidendi: jus enim unius in re legitime possessa cum in aliis obligationem pariat (§. 39.) illum a rei possessione non deturbandi, cæterorum jura absorbeat necesse est. Jam vero ex jure quo in statu mere naturali omnes potiebantur, concurrendi ad omnia facto legitimo ab aliis non occupata, nulla certe oriebatur necessitas belli omnium in omnes. Cum enim semper juri unius obligatio in aliis respondeat illius exercitium non impediendi, nemo in primis licite poterat alios a concursu impedire. Postquam vero unus datam rem occupaverat nemini rursus licebat illum a possessione deturbare. Nonnisi ergo per summam impudentiam contendit Hobbesius, rem incommunicabilem, et indivisibilem, quam eodem tempore multi appetunt, fortiori dandam esse, et pugna judicandum quis revera sit fortior.

§. 242. Multo minus bellum omnium in omnes necessarium dici potest ob discordias natas ex certamine ingeniorum; recta enim ra-

tio docet hujusmodi discordias vel amicabiliter per mutuam persuasionem consopiendas esse, vel patienter ferendas, quin ad illas dirimendas arma sumantur cum gravissimi mutui damni periculo.

§. 243. Dum iter aggredimur comites quærimus, et arma gestamus, itemque dormitum euntes fores claudimus etc., non quia cæteros homines tanquam naturales hostes timemus, sed ne ab hostibus, si qui sunt, incauti deprehendamur. Eademque de causa reges in suorum regnorum finibus, arces, præsidia, exploratores collocant.

§. 244. Denique cum Hobbesius fateatur aliquos homines naturaliter modestos id ipsum aliis permittere quod sibi, fateri etiam debet saltem inter istos in statu naturali bellum non fuisse. Hoc autem posito quomodo verificatur status belli omnium in omnes ?, præsertim cum status hujusmodi nec inter omnes homines ferocis ingenii subsistere possit. Nam teste Augustino *Lib.* 19. *de Civit. Dei* : « latrones ipsi, ut vehementius ac tutius infesti sint paci cæterorum, pacem volunt habere sociorum ». His adde quod status perpetui belli omnium in omnes manifeste pugnat cum recta ratione, cujus est in officio continere atque compescere omnes perversos animi motus, ex quorum dumtaxat tumultu oritur bellum, ut Hobbesius ipse fatetur. *Lib* 1. *de Cive art.* 2. (1)

(1) *Ecclesiast.* 13. legitur: « Omne animal diligit sibi simile ».

Et Juvenalis *Satyra* 15.

Parcit cognatis maculis fera: quando Leoni
Fortior eripuit vitam Leo? quo nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris alit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: sævis inter se convenit ursis.

Ergo et homo naturaliter diligere debet hominem.

CAPUT II.

De Naturali Hominum æqualitate morali.

§. 245. Societas, ad quam natura primitus homines destinavit non politica fuit et civilis (hæc enim ut a Clarissimo Juris Naturæ ac Gentium Antecessore demonstrabitur, successu temporis vel ex immediato Dei jussu, vel ex immediata hominum conventione natura ipsa monente introducta est), sed moralis æqualitatis et mutuæ independentiæ (excipimus tamen naturalem dependentiam uxoris a viro, et filiorum a parentibus, de quibus infra). Cum enim omnes omnino homines (quamvis in accidentalibus plus minusve differant), in essentia seu natura conveniunt, omnes profecto eadem ab illa jura easdemque obligationes hausisse dicendi sunt. At moralis æqualitas, et mutua independentia in jurium et obligationum identitate consistit. Quamvis ergo non omnes homines eamdem habeant virium firmitatem, ingenii subtilitatem, divitiarum copiam etc., omnes

tamen ex naturæ institutione moraliter æquales, et mutuo independentes admittantur oportet: eo ferme pacto, quo duo circuli easdem habent essentiales proprietates, ideoque sunt in ratione circuli æquales, licet unus duplo vel triplo major sit alio.

§. 246. Nemo tamen inde inferat, dependentiam unius hominis ab alio esse contra naturam. Ut enim optime animadvertit Divus Thomas 2. 2. *Quæst.* 94. *Artic.* 5. *ad* 3.: « Aliquid dicitur esse de jure naturæ dupliciter. Uno modo quia natura ad hoc inclinat, sicut non esse alteri injuriam faciendam. Alio modo quia natura non inducit contrarium . . . . . et hoc modo communis omnium possessio, et omnium una libertas dicitur esse de jure naturali, quia scilicet distinctio possessionum et servitutes non sunt inductæ a natura, sed per hominum rationem ad utilitatem humanæ vitæ ».

§. 247. Non recte item ex morali omnium hominum æqualitate, et mutua naturali independentia infert Hobbesius quod: « In statu mere naturali, seu antequam homines ullis pactis invicem se obstrinxissent, unicuique licebat facere quæcumque, et in quoscumque libebat ». Moralis enim æqualitas et mutua independentia efficere certe non poterat, quod licitæ forent actiones natura sua, seu intrinsece malæ, quales infra esse demonstrabimus calumnias, adulteria, homicidia, et alia adversus alios homines facinora.

§. 248. Pessime tandem idem Hobbesius physicam omnium hominum æqualitatem demonstrare conatur, tum quia quod aliqui robore non possunt, malitia possunt, et per insidias, tum quia omnes et singuli homines æqualia contra se invicem possunt, nempe occidere. Nam 1. experientia testatur, aliquos esse homines nedum robore, sed etiam ingenio et malitia aliis hominibus inferiores: Deinde potentia occidendi non æqualiter in omnibus est expedita, proindeque in omnibus locum non habet prætensa virium æqualitas.

CAPUT III.

De Naturalibus hominis erga alios officiis imperfectis.

§. 249. Amor nostri, ut supra (§. 147.) vidimus, ita ordinatus esse debet, ut amori Dei subjiciatur, et amorem aliorum hominum non excludat. Cum enim omnes omnino homines in natura conveniant, et omnes ad pacificam inter se societatem, nec non ad felicitatem sint ab Auctore naturæ destinati, naturalis ordo sane postulat, ut de aliorum bono gaudeamus, de malo tristemur, simulque illud pro circumstantiarum diversitate magis vel minus efficaciter promovere, istúd vero arcere, ac removere studeamus: quæ quidem omnia non aliud sunt, nisi sinceri erga alios homines

amoris effectus. Primum ergo naturale officium ab homine quovis erga alios præstandum illud ipsum est, quod Christus in Evangelio secundum legis mandatum esse dixit, et verbis istis expressit: « Diliges proximum tuum sicut te ipsum ».

§. 250. Ex hoc autem fonte nemo non videt, vulgatissima illa manare principia: « quod tibi vis fieri, fac et alteri: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: jus suum cuique tribuito: neminem læde; et si læsisti læsionem repara », quæ profecto summam constituunt naturalium omnium officiorum, ideoque sedulo a nobis enucleanda sunt, et peculiaribus casibus convenienter aptanda. Ad primum e laudatis principiis reduci commode possunt cum Marchione Aloysio Andrea de Sylva *Commentar. in Libro* 1. *Tull. de Officiis Cap.* 3. Officia erga alios, quæ a Stoicis dicebantur media seu communia, nunc autem vulgo dicuntur imperfecta, de quibus hoc in capite agendum: ad posteriora vero principia cum eodem de Sylva reduci possunt officia tum a Stoicis, cum a recentioribus perfecta nuncupata, quæ deinceps exponemus.

§. 251. Naturalia officia imperfecta erga alios homines adimplenda in duas classes dividuntur. Vel enim sine adimplentis detrimento præstantur, ut errantem in viam revocare, sitienti aquam præbere, algentem apposito igne fovere, afflictum consolari, petentem adjuvare

consilio etc., et dici solent officia humanitatis seu innoxiæ utilitatis, unde illa negligens inhumanus appellatur; vel aliquod benefacienti detrimentum afferunt, ut pauperem cibo reficere, eleemosynas indigentibus largiri (1), propriis opibus, viribus, laboribus aliorum felicitatem promovere, et beneficentiæ officia nuncupantur.

(1) Eleemosynarum largitio generatim est de præcepto, quia, ut ait Divus Thomas 2. 2. *Quæst.* 32. *Artic.* 5. « Ad dilectionem proximi pertinet, ut proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur secundum illud Joannis 3.: Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, et veritate ». Ad hoc autem quod velimus, et operemur bonum alicujus, requiritur, quod ejus necessitati subveniamus, quod fit per eleemosynarum largitionem: quod quidem præceptum extenditur ad quævis opera misericordiæ et subsidia corporalia, et spiritualia. Ut enim docet Augustinus *Lib. de Moribus Ecclesiæ Cap.* 27. Homo est anima rationalis mortali atque terreno utens corpore. Partim ergo corpori, partim vero animæ hominis benefacit, qui hominem diligit.

§. 252. Jam vero utriusque classis officia esse a quovis homine aliis hominibus exhibenda, et quidem posteriora cum majori, vel minori incommodo pro majori, vel minori aliorum necessitate, ex eo satis patet, quod natura ipsa ita hominem formaverit, ut sine aliorum hominum subsidio vitam transigere non possit, volens hoc pacto mutuis indigentiis, et officiis hominem homini devincire ad vitæ societatem. Unde merito Tullius *Lib.* 1. *de Officiis Cap.* 7.: « homines hominum causa genera-

tos esse tradit »; indeque subdit : « In hoc naturam debemus ducem sequi , et communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum dando , accipiendo , tum artibus , tum opera , tum facultatibus devincire hominum inter se societatem ».

§. 253. Advertendum tamen , quod si plures eodem tempore ope nostra indigeant, nec omnibus benefacere, ac subvenire possimus ii cæteris paribus præferendi, qui arctiori vinculo nobis conjuncti sunt (1). Hinc Parentes, uxor , filii, aliique consanguinei præ aliis omnibus, concives præ alienigenis, amici, et benefactores præ inimicis sunt cæteris paribus adjuvandi (2). Cæteris inquam paribus: nam et publicæ utilitatis, et meritorum, et dignitatis, ac denique necessitatis graduum ratio habenda est: unde illius potius vitæ consulendum, a quo Reipublicæ salus omnino pendet, quam vitæ conjugis, filiorum, fratruum , ac etiam parentum; insignes potius benefactores, quam remoti consanguinei , a quibus nihil, aut parum boni accepimus, ab inopia sublevandi; optimi potius Principis quamvis extranei, quam privati et scelesti concivis periculo occurrendum; inimico potius extrema necessitate laboranti, quam amico in levi tantum necessitate constituto opes ferenda.

(1) Affectu complacentiæ magis diligere debemus sanctiores, quia sunt Deo amiciores, et conjunctiores, et secundum se amabiliores: amore autem affectivo simul et effectivo,

quo alteri benefacimus, consanguinei secundum varios casus in pari necessitate spirituali vel temporali præferendi sunt aliis licet melioribus propter naturalem conjunctionem, quæ cum sit prior ordine naturæ, et præsupponatur omnibus aliis, sitque firmior, et immobilior, utpote in ipsa natura fundata priorem locum postulat in dilectione quoad bona amicis appetibilia: ex consanguineis vero cæteris paribus præferendi sunt, ob majorem naturalem conjunctionem propinquiores.

(2) Ex consanguineis æque propinquis præferendi digniores, seu aliquam in consanguinitate eminentiam habentes: nam hoc ipso cæteris paribus sunt magis diligibiles. Hinc inter ipsos consanguineos in extrema necessitate, ubi vita periclitatur Parentes præferendi filiis, uxori, cæterisque. Ita Divus Thomas *Quæst.* 26. *Artic.* 11. quia præter sanguinis conjunctionem habet rationem principii: sunt enim principium nostri esse, quod est insigne beneficium, et fundamentum ad recipiendum ab alio beneficia. Extra necessitatem extremam, et ubi agitur de proprii status conservatione uxor et filii non emancipati juxta multos, præferri debent parentibus propter arctiorem in communi victu, et vitæ societate conjunctionem viri et uxoris indicatam *Gen.* 2. et *Math.* 19. « Dimittet homo patrem etc. » et quia bonum familiarum, et Reipublicæ id postulat. Unde Sanctus Thomas 2. 2. *Quæst.* 26. *Art.* 9. *ad* 1. ait: « Filiis magis debetur cura provisionis ». Cæteris paribus pater præferendus est matri: quia est principalior ac nobilior causa nostri esse naturalis, atque familiæ caput. Uxor præferenda filiis, quia est una caro cum marito, et principium (quamvis passivum) liberorum; filii fratribus præferendi, quia cum a parentum substantia tamquam effectus procedant sunt conjunctiores.

§. 254. Advertendum 2., neminem teneri ad beneficium alteri præstandum, ex quo sibi major, vel æqualis immineat pernicies, ac alteri utilitas; cum enim amor nostri mensura esse debeat amoris aliorum, clare patet, neminem teneri ad alios plusquam se diligendos.

§. 255. Advertendum 3., immerito prorsus ea beneficia vocari ex quibus alii non utilitatem sentiunt, sed damnum, ut si quis ægroto cibos insalubres, vel temulento vinum donaret.

§. 256. Advertendum 4. beneficia, quæ accipienti sunt honorifica, publica esse debere, secreta vero generaliter loquendo, si arguunt illius indigentiam: sic enim ejusdem utilitati vere consulitur.

§. 257. Advertendum 5., ad beneficii perfectionem requiri, quod nulla pro illo remuneratio expectetur: beneficium enim ex natura sua non respicit, nisi alterius utilitatem.

§. 258. Non idcirco tamen inficiamur, eum qui beneficio cumulatus est, benefactori gratum esse debere; imo gratitudinem naturale officium esse contendimus, et in eo consistere dicimus, quod constans habeatur animi dispositio gratiam pro beneficiis acceptis referendi, et benefactoris utilitatem loco ac tempore opportuno promovendi. Quare omnium hominum execrationem merentur, qui nedum beneficii obliviscuntur, sed benefactori aliquando injurias irrogare non erubescunt.

§. 259. Advertendum denique amorem aliis hominibus debitum inimicos etiam complecti, non quidem qua inimici sunt, sed qua homines, ideoque ipsis etiam communia dilectionis signa, et beneficia, quæ aliis ejusdem status et conditionis præstare solemus, esse

omnino exhibenda, nisi ex iis contra nos fortiores, aut insolentiores evasuri prævideantur (cavendum tamen, ne ab exacerbati animi æstu in hujusmodi prævidentia decipiamur) (1); specialia vero solum in casu, quod sincere veniam petant, aut in extrema, vel etiam gravi necessitate versentur. (2).

(1) Non licet inimicis velle malum, ut eorum malum, nec de ipsorum malo, ut eorum malo gaudere, vel de eorum bono, ut eorum bono dolere, hæc enim sunt actus odii, quod est contra dilectionem inimicis etiam debitam. Ob eamdem rationem, non licet a Deo, vel hominibus vindictam injuriæ expetere ex displicentia personæ, multo minus eam sumere. Item non licet inimicos excludere ab actu interno charitatis, quem erga proximum elicimus, sed eos in illo generatim includere, imo in particulari hos numero ac determinate diligere debemus, quoties periculum est, ne ob gravem injuriam acceptam eos oderimus, eisque malum optemus, ut sæpe contingit, nisi odium actu amoris et oratione cohibeamus. Tunc enim ille amoris actus est medium necessarium ad servandum præceptum. Item non licet inimicum excludere a communibus orationibus, vel eleemosynis, a resalutatione, a responsione ad interrogata, a mercium expositarum venditione.

Peccant etiam qui indiscreto zelo animati peccatores ab amore suo excludunt: licet enim sint peccatores, non tamen desinunt esse proximi amandi in ordine ad salutem sed odio habendum peccatum, quo a salute abducuntur. « Omnis peccator, inquit Augustinus *Lib.* 1. *de Doctrina Christiana Cap.* 27., in quantum peccator est, non est diligendus, et omnis homo in quantum homo est, diligendus est propter Deum ». Etsi, ait Gregorius: « indignationem debeamus vitiis, compassionem tamen debemus naturæ ». Amor, inquit Divus Thomas 2. 2. *Quæst.* 34. *Art.* 3., debetur proximo secundum quod habet a Deo, idest secundum naturam, et gratiam, non autem secundum id, quod habet a seipso,

et diabolo, seu secundum peccatum, et justitiæ defectum; et ideo licet odio habere peccatum in peccatore, et omne illud, quod pertinet ad defectum divinæ justitiæ, sed ipsam naturam et gratiam patris non potest aliquis odio habere sine peccato ». Hac distinctione explicantur expressiones scripturarum contra peccatores *Psalm.* 8.: *Convertantur peccatores in infernum*; « sensus nempe est, inquit Divus Thomas 2. 2. *Quæst.* 26. *art.* 6. *ad* 3., ut ea verba sint non optantis, sed prophetantis, vel si optantis referantur non ad pœnam peccatoris patientis, sed ad justitiam Dei punientis: vel si referantur ad peccatorem, eo vergant, ut desideremus interitum peccatoris, non quatenus homo est, sed quatenus peccator ». Quod Augustinus paucis verbis ita explicat in *Psal.* 138. *ver.* 21. *Perfecto odio oderam illos.* « Quid est perfecto odio? oderam in eis iniquitatem eorum: diligebam conditionem tuam, idest quod a te acceperunt ». Et Gregorius *Homil.* 37. *in Evang.*: « sic exhibere proximis nostris odii discretionem debemus, ut in eis diligamus quod sunt, et habeamus odio id, quo nobis obsistunt ».

(2) Qui alterum injuste offendit, tenetur veniam petere. Quod si duo mutuo se offenderint, tunc si offensio fuerit æque gravis, tenetur reconciliationem petere, qui prius offendit, quia prius læsus, prius jus habet satisfactionem exigendi: si vero offensio sit inæqualis, tenetur ille, qui gravius offendit; nam gravior offensio prævalet priori minus gravi, et sic prius compensanda est. Et excessus ille est, quasi nova injuria, quæ novum jus læso dat exigendi satisfactionem.

Tenemur inimico veniam petenti offensam ex animo condonare, non tamen remittere debitam sarcitionem honoris, famæ, vel pecuniæ: ad hanc enim jus habemus, ideoque illam expetere possumus, non quatenus est malum inimici, sed quatenus in nostrum bonum justum cedit, et nostrum injustum malum expellit. Imo contra eum, qui injuste nos læsit, licet instituere actionem tum civilem, tum criminalem, dummodo id non fiat ex odio vel alio pravo fine, sed ex amore publicæ justitiæ, ne aliis noceat, vel ne impunita maneant crimina cum Reipublicæ damno: qui tamen procedendi modus ordinarie non vacat periculo, cum pauci amore

justitiæ, aut boni communis ducantur; plurimi vero explendæ vindictæ desiderio. Pater tamen, vel quivis superior licite potest quandoque justæ correctionis causa erga filios, vel subditos etiam veniam petentes benevolentiæ signa differre, dummodo intus charitatem servet.

CAPUT IV.

De Naturalibus erga alios Officiis Perfectis Absolutis.

§. 260. Si homo tenetur, ut vidimus (§. 252.) aliis hominibus reddere officia imperfecta, a fortiori reddere iisdem tenebitur officia perfecta, quæ perfectam obligationem alieno juri perfecto respondentem important. Sicut autem illa, ita etiam ista duplicis sunt generis: alia enim ex naturali obligatione debentur, alia vero solum ex hypothesi alicujus facti nostri, vel alieni. Priora, de quibus hoc in capite agendum, absoluta dicuntur, posteriora vero, de quibus deinceps, hypothetica.

§. 261. Jam vero quænam sint naturalia officia perfecta et absoluta erga alios exhibenda, facile patebit, si naturalia cujusque hominis jura perfecta, et absoluta enumerentur. Hæc porro, ut ex dictis apparet, ubi de naturali hominis statu, et de officiis hominis erga seipsum, sunt: 1. jus se suaque honestis mediis conservandi; 2, jus se suaque honestis mediis perficiendi; 3. jus libertatis, seu independentiæ ab aliis hominibus excepta naturali depen-

dentia filiorum a parentibus, et uxoris a viro, de quibus infra, (quod tamen jus plus minusve restringi posse jam (§. 246.) vidimus, et actu ad communem humani generis utilitatem, partim ex Dei, partim ex ipsorum hominum voluntate restrictum est.

§. 262. Ex perfecto igitur et absoluto officio naturali nemo in primis lædendus ratione vitæ vel directe, ipsum ferro, veneno etc. occidendo, vel etiam indirecte ipsi abripiendo alimenta, et vestes ad vitæ conservationem necessarias. Nemo 2. lædendus ratione intellectus, et voluntatis, seu nemo mendaciis, et sophismatibus in errorem inducendus, a veritate avertendus, præjudicatis opinionibus imbuendus, multoque minus pravis doctrinis, consiliis, exemplis a virtute retrahendus, et ad vitia alliciendus. Nemo 3. lædendus ratione pudicitiæ, sive per vim, sive per blanditias, dona, preces, aliaque passionum irritamenta. Nemo 4. lædendus ratione corporis, seu nemo vulneribus, tormentis, verberibus, fame, vel siti injuste afficiendus. Nemo 5. lædendus ratione libertatis, seu nemo indebite vinculis constringendus, vel ad indebitam dependentiam cogendus. Nemo 6. lædendus ratione honoris, existimationis, et famæ sive verbis, quæ vel calumniam, vel contumeliam, vel detractionem sonent, sive factis, et gestibus, unde alterius contemptus et irrisio dignoscatur. Nemo 7. lædendus ratione bonorum fortunæ si-

ve per furtum, sive per rapinam, sive per injustam damnificationem. Nemo denique a moderata sui rerumque suarum contra injustos aggressores defensione impediendus. Quomodo autem injuriæ et damna ex quavis læsione alteri illata pensanda sint, ac sarcienda, peculiari capite infra indigitabimus.

§. 263. Nunc pro hujus capitis coronide advertere lubet contra Protestantes, locutionem quamlibet (cujus nomine intelligimus nedum verba, sed etiam scripturam, nutus, gestus, et quævis alia signa internis animi sensibus explicandis idonea) contrariam loquentis menti, seu mendacium quodlibet sive perniciosum, quod vel Deo injuriosum sit, vel alicui homini perniciem inferat, sive mere officiosum, aut jocosum, quod unice propriæ vel alienæ utilitatis, aut voluptatis causa profertur, ex naturali officio illicitum esse. Locutiò enim ab Auctore naturæ hominibus concessa est ad hoc, ut sibi ad invicem internos animi sensus loco, ac tempore opportuno communicarent. Sed mendacium quodvis, ut liquet, hanc naturalem institutionem evertit. Quodvis ergo mendacium naturali officio adversatur. (1).

(1) Impudentissime nonnulli contendunt, Deum mentitum esse, primo cum *Genesis tertio* dixit Adæ. « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est »; 2. quando Jonæ præcepit, ut prædicaret: « adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur », quod minime verificatum fuit; 3. cum per Isaiam dixit Ezechiæ *Reg*. 4. *c*. 20. « Dispone domui tuæ, quia morieris et non vives »: cum

tamen postea Deus ipsi concesserit alios quindecim vitæ annos. Impudentissime, inquam, nam verba Genesis ironice, ut patet ex contextu dicta sunt a Deo proindeque sine mendacio: prophetiæ autem Jonæ et Isaiæ non absolutæ fuerunt, sed conditionatæ, ita ut sensus prioris fuerit: « nisi pœnitentiam egerint Ninivitæ post quadraginta dies Ninive subvertetur »; secundæ vero: « infirmitas tua talis est, ut naturaliter ex illa mori debeas ». Ninive autem post quadraginta dies subversa non est, quia Ninivitæ pœnitentiam egerunt, et Isaias ex sua infirmitate convaluit, quia Deus miraculose illius vitam protraxit.

§. 264. Immerito igitur Grotius *de jure belli et pacis*, *Lib.* 3. *Cap.* 1. §. 11. locutionem menti contrariam licere contendit: 1. si infantes, vel amentes alloquamur; 2. si is, ad quem sermo dirigitur, non decipiatur, etiamsi tertius aliquis falsam inde hauriat persuasionem; 3. si is ad quem sermo dirigitur, non sit egræ laturus deceptionem, ex qua commodum ipsi nascitur; 4. si quis jus habeat supereminens in jura aliorum, citatque Platonem, qui Principi veniam concedit mentiendi; 5. denique si vita innocentis, aut par aliquid non possit alio modo servari: quibus in casibus locutionem menti contrariam, non mendacium, sed mitiori vocabulo falsiloquium appellat. Siquidem idem Grotius loco citato mendacium definit: « sermonem, aut notam repugnantem cum jure existente et manente ejus, ad quem sermo dirigitur », quam definitionem probant Puffendorfius, Barbeyracius, Heineccius, aliique e Protestantibus, falsam vero demonstrat Sanctus Thomas 2. 2. *Quæst.* 110.

Artic. 1. dicens : « ratio mendacii sumitur a formali falsitate, ex hoc scilicet, quod aliquis habet voluntatem falsum eunciandi ; unde et mendacium nominatur ex eo, quod contra mentem dicitur . . . . Et ideo si quis falsum enunciet credens id esse verum, est quidem falsum materialiter, sed non formaliter, quia falsitas est præter intentionem dicentis. . . . Quod autem aliquis intendat falsitatem in opinione alterius constituere, non pertinet ad speciem mendacii, sed ad quandam perfectionem ipsius ». Et (*Artic.* 3. *ad* 4.) mendacium non solum habet rationem peccati ex damno, quod proximo infertur, sed ex sua inordinatione. Non licet autem aliqua illicita inordinatione uti ad impediendum nocumenta, et defectus aliorum. Et ideo non est licitum mendacium dicere ad hoc ut aliquis alium a quocumque periculo liberet. « Hinc Homerus naturali lumine ductus generatim ait :

Ille mihi invisus pariter cum faucibus Orci,
Cujus mens aliud condit, quam lingua profatur.

Et Aristoteles: « per se mendacium fœdum est, et vituperabile ». Hinc etiam Augustinus merito *Libro contra Mendacium Cap.* 2. *de Priscillianistis* ait. « Cæteris hæreticis convincuntur esse pejores. Ipsi enim soli, vel maxime ipsi reperiuntur ad occultandam suam quam putant veritatem dogmatizare mendacium ».

§. 265. Non tamen inficiamur mendacia mære jocosa, et officiosa, non multam respe-

ctu mendacii perniciosi habere in se fœditatem, et esse valde excusabilia. Unde levem reatum contraxere obstetrices Aegyptiæ, quæ a Rege interrogatæ, cur contra suum præceptum pueros Hebræorum servassent, mentiendo responderunt: « Non sunt Hebreæ sicut Aegyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, et priusquam veniamus ad eas pariunt »; cum etiam Rahab, quæ ut legitur Josue 2. *Versic.* 4. *et seq.* mendacio a mortis periculo liberavit Hebræorum exploratores. Prioribus autem benefecit Deus, et domos ædificavit, non quia mentitæ sunt, sed quia timuerunt Deum a puerorum occisione abstinentes; sicut etiam Josue misericordiam erga Rahab et domum ejus exhibuit non quod mentita esset, sed quia misericordiam et ipsa fecerat cum exploratoribus, seu clarius non propter medium, quo affectum suum erga Hebræos ostendit, sed propter ipsum affectum.

§. 266. Nec etiam diffitemur ex rationabili causa licere locutiones hyperbolicas et figuratas, imo etiam ambiguas, si necessitas urgeat veritatem celandi, et alius non habeat jus illam exigendi; ac denique in similibus casibus restrictiones non pure mentales, quæ scilicet attentis extrinsecis circumstantiis ab audientibus percipi possunt: quo titulo Christus de die judicii sine mendacio dixit, se illam nescire, scilicet ad revelandum, utpote sui Æterni Patris Legatum. Eodem titulo Confessarius

interrogatus, num noverit certum alterius crimen, quod unice novit ex sacramentali illius Confessione, respondere absque mendacio potest, se crimen illud minime novisse, quia illud, teste Divo Thoma, minime novit, ut homo, sed ut Deus, hoc est, ut Dei Vicesgerens. Dixi tamen locutiones ambiguas etc. licere si necessitas urgeat etc., quia ex una parte loqui ambigue, vel cum restrictione mentali quamvis exterius determinabili sine necessitate in maximum, ut liquet, humanæ societatis incommodum redundaret; ex alia vero parte unius juri veritatem exigendi respondet in aliis obligatio veritatem nudam, et integram manifestandi. Denique stratagemata, insidias, et astutias militares, dummodo nil falsum dicto vel facto contineant, non esse mendacia, ostendit Divus Thomas 2. 2. *Quæst.* 40. *Artic.* 3. dicens: « Aliquis potest falli ex dicto vel facto nostro, quia ei propositum, aut intellectum (nostrum) non aperimus. Hoc autem semper facere non tenemur, quia etiam in doctrina sacra multa sunt occultanda maxime infidelibus ne irrideant secundum illud *Matth.* 7. « Nolite sanctum dare canibus »; unde multo magis ea, quæ ad impugnandum inimicos paramus, sunt eis occultanda, et talis occultatio pertinet ad rationem insidiarum, quibus licitum est ut in bellis justis. Nec proprie hujusmodi insidiæ vocantur fraudes, nec justitiæ repugnant, nec ordinatæ voluntati: esset enim inordinata voluntas, si aliquis vellet nihil sibi ab aliis occultari.

CAPUT V.

De Perfectis erga alios Officiis hypotheticis in genere.

§. 267. Officia naturalia, ut Grotius optime advertit, non circa ea tantum versantur, quæ citra voluntatem humanam existunt, sed etiam circa plura, quæ humanæ voluntatis actum consequuntur. Multa siquidem officia naturalia locum non habent, nisi in hypothesi alicujus liberi facti nostri vel alieni. Talia sunt quæ rerum dominium, pacta, contractus, læsionum reparationem, ac denique peculiarium statuum obligationes respiciunt. De his ergo omnibus agendum, ut pro data fide nedum absoluta, sed etiam hypothetica erga alios officia saltem summis labiis delibemus. Nec mora.

CAPUT VI.

De Dominio in genere ejusque divisione.

§. 268. Dominium in genere dividitur in dominium jurisdictionis, et dominium proprietatis. Primum, de quo hic non agimus, est jus gubernandi subditos in ipsorum commodum; secundum vero est: « jus de re aliqua disponendi pro lubitu cum exclusione aliorum, nisi lex, vel pactum obsistat »; quia nimirum lex vel pactum, ut infra videbimus, jus exercendi do-

minium restringere potest. Porro si tale jus uni singulari personæ competat, dominium dicitur singularis proprietatis; sin vero commune sit pluribus consociis dominium dicitur communionis positivæ, ubi nemo singularis consocius jus habet de re disponendi, sed solum integra societas vel per se vel per suos repræsentantes. Si denique nulli jus fuerit alios a datæ rei usu excludendi, hæc utpote sub nullius dominio constituta dicitur esse in communione negativa.

CAPUT VII.

De Origine Dominii, ejusque acquirendi modis.

§. 269. Primam dominii originem ab occupatione repetendam esse arbitramur, seu a tali apprehensione rei positæ in communione negativa (§. 268.), ut facto pateat, aliquem re apprehensa uti velle cum exclusione aliorum pro suæ vitæ usu. Cum enim unusquisque naturale jus habeat se conservandi ac perficiendi, jus etiam habeat oportet tantum sibi cum exclusione aliorum adserendi e rebus in communione negativa existentibus, quantum ad sui conservationem, et perfectionem existimat opportunum. Certum enim est apud omnes, jus ad finem involvere etiam jus ad media honesta, quæ ad illius assecutionem conducunt.

§. 270. Hinc Tullius *Lib.* 3. *de Finibus Cap.* 20. ait: « Quemadmodum theatrum commune cum sit, recte tamen dici potest, ejus esse eum locum, quem quisque (haud petito aliorum consensu) occuparet, ita in Urbe mundove communi non adversatur jus, quod suum cujusque sit ». Et Ambrosius *Lib. de Offic. Cap.* 28. « Natura omnia omnibus in commune profudit. Sic enim Deus generari jussit omnia, ut pastus omnibus communis esset, et terra foret omnium quædam communis possessio. Natura igitur jus commune generavit, usurpatio (nempe occupatio) jus fecit privatum » (1).

(1) Thomas Morus *apud Utopienses*, et Thomas Campanella *in Civitate Solis*, communionem bonorum introducere tentarunt, quia nimirum facilius perfecti homines finguntur, quam habentur. Melius Lactantius *Lib.* 5. *Divin. Instit. Cap.* 5. hæc habet. « Cum Deus communem omnibus terram dedisset, ut communem degerent vitam, non ut rabida et furens avaritia omnia sibi vindicaret, nec ulli deesset quod omnibus nasceretur .. ». Sed præ omnibus audiendus est Divus Thomas 2. 2. *Quæst.* 66. *Artic.* 2. dicens: « dicendum, quod circa rem exteriorem duo competunt homini, quorum unum est potestas procurandi, et dispensandi, et quantum ad hoc licitum est, quod homo propria possideat. Est enim necessarium ad humanam vitam propter tria. Primo quidem, quia magis solicitus est unusquisque ad procurandum aliquod, quod sibi soli competit, quam id quod est commune omnium vel multorum, quia unusquisque laborem fugiens relinquit alteri id, quod pertinet ad commune, sicut accidit in multitudine ministrorum. Alio modo quia ordinatius res humanæ tractantur, si singulis immineat propria cura alicujus rei procurandæ: esset autem confusio si quilibet indistincte quælibet procuraret. Tertio quia

per hoc magis pacificus status hominum conservatur, dum unusquisque re sua contentus est, unde videmus, quod inter eos, qui communiter, et ex indiviso aliquid possident, frequentius jurgia oriuntur. Aliud vero quod competit homini circa res exteriores est usus ipsarum. Et quantum ad hoc non debet homo habere res exteriores, ut proprias sed ut communes, ut scilicet de facili eas communicet in necessitate aliorum. Unde Apostolus 1. *ad Timotheum* ait: « *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere, communicare de bonis etc.* ».

§. 271. Advertendum tamen, iniquam esse occupationem rerum, quæ sunt usus prorsus inexhausti, ut aeris, lucis, aquæ profluentis etc.: iis enim unusquisque quantumlibet uti potest, quin cæteri ab usu excludantur. Hinc Ovidius *Metamorphoseon Lib.*6. *Ver.*439. ait:

Quid prohibetis aquas, usus communis aquarum est.
Nec solum proprium natura, nec aera fecit:
Nec tenues undas: ad publica munera veni.

Quod si res aliqua natura sua sit inexhausta, sed adnexum habeat alterius rei usum exhauribilem, prout est piscina, stagnum etc., nemini dubium quin occupationi sit obnoxia.

§. 272. Advertendum insuper, quod licet ad occupationem (aliorum secluso consensu) non sufficiat verbalis apprehensio: ridiculum namque foret, quod aliquis e vertice montis vastam planitiem prospiciens illam posset sub suo dominio constituere pronunciando verba, quibus voluntatem suam declararet, nihilominus ad rerum immobilium occupationem plane sufficit illas colere, vel sepibus, aliisque repagulis, aut limitibus exacte, vel etiam cum

aliqua latitudine circumvallare. Ad occupationem vero mobilium, sat est, quod vel manibus, vel instrumento quovis ea in nostram potestatem et custodiam redigamus; vel illa, quæ nonnisi difficulter ac remote occupabilia sunt, reddamus facile ac proxime occupabilia. Hinc si feram læsisti quantum ad capiendum sufficit, et eam insequeris cum morali certitudine capiendi, tua est, et si alius (excepto ad summum domino fundi, qui jus habeat ab ingressu prius non concesso te impediendi) eam cœperit, jus a te acquisitum violare censendus est. Quod etiam dicendum, si fera laqueo tuo ita capta sit, ut donec ad illam perveneris, non sit evasura, secus vero si facile sit evasura.

§. 273. Advertendum denique, res, quæ dominum habuere, in communionem negativam redire, ideoque rursus occupabiles fieri, si a domino ita derelinquantur, ut nolit amplius dominium in eas habere. Quod ut clare constet, non sufficit materialis derelictio, imo nec etiam voluntaria projectio, nisi talibus circumstantiis conjuncta sit, ut prudenter inferri possit, priorem dominum nolle amplius res, de quibus agitur, in suarum numero habere. Unde primo occupanti nullatenus cedunt, quæ insciis, vel invitis dominis e currente rheda prolabuntur, vel quæ urgente tempestate navis levandæ causa ab ipsis dominis in mare projiciuntur animo ea deinceps si fieri possit recuperandi.

§. 274. Alter modus dominii comparandi est accessio, quæ communiter definitur: « Unio vel adjectio unius rei ad aliam, vi cujus præcipuæ partis dominus fit etiam dominus alterius »: quod tamen intelligendum, si res minus præcipua vel nullius fuerit ante unionem, vel a præcipua sine detrimento separari non possit. Si enim absque alterutrius domini damno separatio fieri possit, ut ovium in uno grege permixtarum, uterque procul dubio rei suæ dominium servat.

§. 275. Jam vero aliquid rei nostræ accedere potest vel quatenus ab ea naturaliter producitur, vel ex casu fortuito absque ullo hominum facto, vel ex facto nostro, aut alieno, vel denique partim naturaliter, partim ex hominum facto. Prior accessio dicitur naturalis, secunda casualis, tertia industrialis, quarta mixta. Ad priorem seu naturalem classem pertinent hærbæ, arbores, fructus, quos agri nostri sponte progerminant, itemque venæ metallicæ, lapidicinæ, arenariæ, etc; ac denique nostrorum animalium fœtura, etiamsi mas sit alienus, quo tamen data opera uti ad nostra fœminei sexus animalia fecundanda nefas est sine domini consensu, et si utamur, aliquid illius domino pro usu rependendum; non vero fœtus pro æquali parte inter utrumque dominum dividendus 1. quia teste Aristotele *Lib.* 2. *de Generat. animalium*: «fœtui materiam præbet fœmina, mas vero unice motionis principium;

2. quia fœtus aliquando fuit pars matris, nunquam vero patris; 3. tandem, quia pater leviter opera sua defungitur, ita ut ipsius domino parum aut nihil decedat; mater vero dum uterum gerit fere ad alia inutilis est et solicite alenda ».

§. 276. Ad secundam seu casualem classem pertinet quidquid per alluvionem, seu aquarum vi nostris fundis adjicitur, dummodo tamen adjectio ex alieno fiat insensibiliter: si enim simul et semel notabilis alieni prædii portio subita aquarum tempestate meo adjiciatur, sub alterius dominio remanet eo ferme pacto, quo alienæ vestes in meum prædium a vento projectæ non desinunt esse alienæ. (1. 2. et 3.)

(1) Ut autem tale jus locum habeat requiritur ut ager sit arcifinius, qui juxta Isidorum certis linearum mensuris non continetur, sed fines ejus arcentur objectu fluminum, montium, arborum. Nam si ager esset limitatus, hoc est certis limitibus, qui apud veteres Romanos dicebantur centuriæ circumscriptus, tale jus locum non haberet: centuria autem erat spatium agri continens centum jugera, jugerum autem erat agri pars, quæ quotidie a duobus bobus arari poterat.

(2) Talvolta (inquit Dall'Olio) il fiume non accosta le particelle di terra alle ripe, ed ai fondi dei particolari, ma per qualche accidente le combina nel mezzo del suo corso, e ne forma un'isola. (Così dicesi avvenisse, quando fuggito da Roma Tarquinio Superbo i Romani ne posero a soqquadro i beni precipitando nel Tevere le biade ed i grani tagliati ne' di lui campi. Giacchè questi grani uniti ai sarmenti ed altre cose si unirono in un luogo del fiume più elevato, e meno dominato dall' acqua, e formarono l'isola detta ora di San Bartolommeo). Siccome quest' isola è com-

posta di particelle di cui è ignota la provenienza, ed il dominio, al quale altrove erano soggette, così secondo i principj delle pure leggi naturali passerà in dominio di colui, al quale il fiume è soggetto. Cosicchè se il fiume spetta ai privati cittadini, dai medesimi proporzionatamente acquisterassi l'isola: se il fiume spetta al popolo, dal medesimo acquisterassi l'isola: se poi il fiume non sarà soggetto ad alcun dominio l'isola sarà del primo occupante. Non però così l'intesero gli antichi Romani, i quali non senza gravi contrasti fra Cassio Longino, ed i Proculejani stabilirono, che l'isola nata nel fiume si acquistasse dai possessori dei predj vicini. Si stabilì adunque che se l'isola era situata nel centro del fiume, questa si acquistasse dai padroni esistenti nell'una e nell'altra ripa a proporzione dell' estensione, e larghezza de' predj riguardanti il corso del fiume, e tirate le linee diritte e parallele dal centro dell'isola. Se poi l'isola era nata sotto il centro del fiume, ed accosto ad una delle ripe decretarono, che quest' isola fosse del padrone al di cui predio vicino era nata l'isola medesima.

(3) Quoad alvei mutationem si alveus derelictus in nullius ante dominio fuit; ille non potest vicinis, utrimque prædia habent pro modo prædiorum acquiri, ut visum est Jurisconsultis Romanis, sed quia de fluminis dominio cujus pars est alveus, satis certo constat, ille tanquam pars fluminis ejusdem erit, cujus flumen erit, quemadmodum ex eadem ratione novus alveus iterum derelictus procul dubio non minus manet priorum dominorum, quam ager inundatus, si deinde aqua recesserit. Agrum inundatum si recesserit aqua, ejus manere, cujus fuit, statuit Justinianus *Inst. P.* 24. *Tit. de Rer. Divis.* Mirum ergo quod (§. 23.) asserat alveum inundatum et denuo derelictum, non ad dominum agri quem inundavit sed ad illos, qui prope ejus ripam prædia possident pertinere. Atque eo magis mirandum, quod apud Romanos juris regula est, « id quod nostrum est, sine facto nostro, ad alium transferri non posse ».

§. 277. Quid vero dicendum de Thesauro, seu de veteri depositione pecuniæ, cujus

memoria non extat, ita ut jam dominum non habeat? quovis pacto secluso, thesaurus naturaliter est inventoris, quia nec pars fundi est, nec ejus fructus.

§. 278. Denique partim ad tertiam, seu industrialem, partim ad quartam, seu mixtam classem, pertinent fructus omnes, quos industria nostra e rebus nostris educit, ædificia immobilia in fundis nostris e quavis materia, et a quocumque constructa, semina in iisdem dispersa, arbores, plantæque ibi consitæ eo ipso quod radices egerint, et ornamenta rebus nostris immobilibus inseparabiliter adjecta; ita tamen ut si nos ipsi mala fide aliquid horum ex aliena materia in fundo nostro egerimus, teneamur materiæ domino damna omnia compensare; sicut etiamsi alter bona fide in fundo nostro e sua materia egerit, et nos proportionatam illius damno utilitatem sentiamus. Quæ postrema doctrina locum quoque habet in hypothesi, quod tertius quidam bona vel mala fide materiam alienam inscio vel invito domino fundo nostro applicaverit; imo etiamsi nos ipsi bona fide applicaverimus: naturalis enim ordo postulat, ut nemo cum alterius damno fiat ditior, saltem nisi alter dolose agendo damnum suum implicite voluerit. Eadem de causa si plantæ præsertim nobiliores, quæ difficulter inveniuntur, translationem admittant, naturalis æquitas postulat, ut earum domino (saltem si mala fide hic non egerit) concedatur eas

auferre, soluto alteri qui mala fide non egit quanti fuit soli usus. Similiter si materia adhibita in immobilis ædificii constructione indigeat materiæ dominus, qui mala fide illud non construxerit, et similem commode nancisci nequeat, æquum est, (præscindendo a quavis lege civili) ut illi concedatur eam tollere damnis compensatis. Quod etiam dicendum si fundi domino plantarum, vel ædificii pretium solvere commodum non sit. Imo recte hoc in casu observat Puffendorfius, æquissimum videri, quod si dominus fundi facile hujus parte, in qua ædificium constructum est, carere queat, recepto soli pretio alteri ædificium relinquat.

§. 279. Quæ de rerum immobilium ornamentis dicta sunt, de iis quoque intelligantur, quæ rebus mobilibus ornatus, aut complementi causa ita adjiciuntur, ut sine totius destructione separari non possint: id enim cujus ornandi aut complendi causa aliud adjungitur, principale merito censetur. Unde si ornatus causa gemma aliena annulo tuo inseratur, aliena purpura vesti tuæ consuatur, alieno colore mensa tua tingatur, color mensæ cedit, purpura vesti, gemma annulo, ita tamen ut hic etiam locum habeant animadversiones appositæ (§. 278).

§. 280. Diversimode sentiendum de pictura in aliena tela inferioris pretii expressa, nec non de scriptura in alienis chartis, papyris, aut membranis exarata. Nec enim pictura

telæ, nec scriptura chartæ adjicitur ad alterutrius ornatum, sed unice tanquam subjecto, seu materiæ.

§. 281. Ad tertiam quoque accessionum classem vulgo refertur specificatio, quæ habetur, cum ex materia quadam res efficitur alterius speciei, ut ex lana vestis, ex ligno navis, ex marmore statua. Porro nemini dubium, quin specificator sit dominus novæ speciei, quoties materia vel ejusdem, vel nullius fuerit. Priori enim in casu materiæ dominium, ut observat Puffendorfius continuatur; in secundo vero acquiritur per occupationem, et nova forma, ut observat Lampredi, quodammodo fructus est operæ specificantis, ideoque in ejusdem dominio. Generatim insuper non admitti non potest doctrina Grotii tradentis *Lib.* 2. *Cap.* 8. §. 19.; quod cum res constent materia et specie tamquam suis partibus, si unius sit materia, alterius species, res naturaliter communis fiat pro rata ejus quanti unumquodque est. Idemque dicendum, si materia partim sit specificantis, partim alterius. Ubi autem res ita sint comparatæ, ut nec sine damno dividi, nec communes esse possint, vel materiæ, ac speciei dominis communio displiceat, plerumque novæ speciei dominium specificatori cum Barbeyracio adjudicandum videtur refuso materiæ domino pretio (imo ut Hertius docet *ex Thomasio*, reddita si dominus ea indigeat re ejusdem generis, et æqualis pretii), quia materia

plerumqne fungibilis est, nullamque ordinarie affectionem recipere remetur. Quod si, prosequitur Barbeyracius, opus jam elaboratum fuerit ex aliena materia, erga quam antiquus dominus peculiarem affectionem habebat, prout si de scypho quæstio sit a Principe donato, ex quo alter lancem fecerit, prior dominus utique contentus esse debet scypho ejusdem pretii. Nam etsi ei daretur hæc lanx aut ex lance iterum scyphus formaretur, hic tamen scyphus non ille foret, quem Princeps donaverat. Plane qui sciens scyphum esse alterius, illius formam immutavit, a priori domino adigi potest, ut pretium etiam affectionis præstet. Dixi tamen, hanc Barbeyracii doctrinam plerumque tantum, non semper omnino adoptandam esse, quia si materiæ dominus illam ad idem opus destinasset, quod a specificatore formatum est, nec aliam ejusdem generis, et æqualis pretii habere possit, nova species materiæ domino adjudicanda videtur, ne scilicet hic rationabiliter invitus dominio in materiam spolietur. Hinc si navis a Titio facta fuerit ex tabulis Caji, qui eas ad navem, quam citius construendam paraverat, et aliæ tabulæ ejusdem generis, et æqualis pretii haberi cito non possint, navis non Titii erit, sed Caji, solutis tamen impensis et operis mercede. Nec prætereundum censeo, quod Hertius ait in notis ad Puffendorfium, verius esse, vinum, farinam, aút oleum ad uvarum, tritici, aut olivarum dominum per-

tinere præstita operario congrua mercede, quia his rebus, ut sapienter animadvertunt Jurisconsulti Romani, rigorose loquendo nova species non fit; sed ea, quæ est detegitur.

§. 282. Quoad confusionem denique, quæ tunc accidit quando corpora distincta ita miscentur, ut in unum coalescant, quin ulla designari possit pars, quæ non sit utriusque domini, ut si meum vinum cum tuo in dolio, vel meum cum tuo tritico in horreo misceatur, naturali æquitati consentaneum omnino videtur, quod totum ex confusione resultans sit pro rata utrique commune. Nec aliter, ut patet ex dictis, (§. 281.) de specificatione sentiendum, si diversi generis materiæ confusæ fuerint, et ex iis nova species efformata, ex. gr. ex vino, et melle mulsum, ex tritico, et lupulis cerevisia, ex auro, et argento electrum.

§. 283. Sed jam satis egisse videmur de modis acquirendi dominium, qui vulgo dicuntur originarii: breviter nunc disseramus de modis derivativis, qui generatim duo sunt: divisio nimirum, et voluntaria dominii translatio.

§. 284. Ad primum quod attinet res posita in communione positiva potest procul dubio partialiter alicujus socii propria evadere, si nempe a consociis petat suæ partis assignationem; quam profecto quovis tempore postulare licet, nisi pacto cautum fuerit, ante certum tempus non esse petendam, vel nisi consociis grave damnum ex divisione immineat;

quæ tamen exceptiones locum non habent in casu extremæ necessitatis.

§. 285. At quomodo rei communis divisio facienda? Si res in communione positiva existens dividua sit, unicuique pars ejus juri respondens assignetur; si vero individua, vel de omnium sociorum consensu unus rem habeat cæteris congruo pretio soluto, vel alicui non socio vendatur pretio in singulos proportionaliter distributo, quod potissimum in casu discordiæ fieri debet, nisi rem sorti committere velint omnes consocii.

§. 286. Ad secundum vero quod spectat, dubitari nullatenus potest, quin (præscindendo a quavis lege civili) rei cujuslibet dominium ab uno in alium transferatur, dummodo verus illius dominus liberam habeat transferendi voluntatem, illamque aliquo externo signo alteri declaret, qui etiam translationi libere consentiat, et externum aliquod hujus consensus indicium exhibeat. Cur enim veri domini circa rem aliquam voluntas sufficienter declarata, et ab alio cujus interest satis clare acceptata effectum suum non obtineret? (1)

(1) Gli antichi Giureconsulti Romani (inquit Dall' Olio), distinguevano le cose in *mancipi*, che per essere esenti da tributi, e da altri pesi dovevano o realmente o per simbolo prendersi dal cittadino Romano con determinata solenne formalità con la mano, acquistando così il dominio *Quiritario* (come i predj Italiani, cioè que' fondi, a cui erano concessi i privilegj d' Italia, le servitù rustiche, i quadrupedi capaci di freno, i figli di

famiglia, l'eredità etc.), e non *mancipi*, che si acquistavano con dominio detto *bonitario*, cioè naturale. Giustiniano abolì questi misteri, promulgando la legge *unica de nudo jure quiritario tollendo*, ove chiama tali solennità ridicole, ed impeditive della giustizia. Quindi andò in disuso la mancipazione, la quale prima così praticavasi. Vi si trovavano presenti cinque testimoni cittadini Romani, e maggiori di età, un altro detto *libripens*, perchè teneva una bilancia, e *l'antestato*, che prima di eseguirsi l' atto solenne della mancipazione toccava le orecchie dei testimonj dicendo a ciascuno di essi: « *Memento quod testis eris* »; ciò eseguito il compratore percoteva la bilancia con una moneta (che poi ricevevasi dall' alienante) dicendo: « *Mancupo tibi hanc rem, quæ mea est* », e l'acquirente rispondeva: « *hanc ego rem ex jure Quiritum meam esse ajo, eaque mihi empta sit hoc ære æneaque libra* ». Ciò non ostante si continuò a credere, che la consegna formale fosse necessaria alla traslazione del dominio, lo che reca grandissima meraviglia a chiunque riflette, che le Leggi Romane ammettono: 1. che, « animo retineri potest possessio » *Inst. Lib*. 2. *Tit*. 1.; 2. che resta validamente trasferito il possesso colla consegna, che dicesi *longa manu*, la quale consiste nel mostrar l'alienante da un luogo eminente un suo fondo all' acquirente, e dirgli di trasferirgliene da quel momento il possesso; 3. che a trasferire il dominio basta un segno, basta la tradizione simbolica, in virtù della quale consegnandosi le chiavi di una cantina, o di un granaro, intendesi consegnato il vino riposto nella cantina, o il grano conservato nel granaro, e consegnandosi una gleba di terreno, intendesi trasferire il dominio del terreno medesimo. Pareva pertanto giusto e naturale, che stabilissero, non esser necessaria la formale consegna alla traslazione del dominio, senza permettere, che i posteri si logorassero il cervello in combinare queste leggi con interpretazioni ed accomodamenti talvolta ridicoli e generalmente ideali. Infatti la consegna, altra dicesi *vera e reale*, cioè quella formale traslazione, che si fà di una cosa mobile da una mano all' altra, e l' immissione in possesso, che si fa di un fondo o di una casa; altra, *finta ed immaginaria*, che, quantunque non sia reale consegna, non ostante per pre-

sunzione delle Leggi ha l'istessa efficacia della vera consegna, come la *simbolica*, la *longa manu*, e la *brevi manu*, la quale succede quando uno vende o dona una cosa ad un altro, che già per altro titolo ver. gr. di pegno o deposito la possedeva fingendosi, che la cosa data in pegno, o in deposito sia stata restituita, o pure nel caso, che uno comandi a Cajo di consegnare a Tizio ciò che quello a lui doveva e voleva restituire, fingendosi, che il debitore della cosa l'abbia realmente restituita al creditore, e questi poi l'abbia consegnata a Tizio. Immaginaria dicesi ancora la consegna, che si fa mediante il costituto possessorio, mediante la qual clausula solita apporsi negli istromenti quando, perfezionato collo scambievole consenso qualunque contratto, l'alienante, per qualche motivo ritiene il possesso della cosa alienata, fingendosi che: colui, il quale si è protestato di possedere a nome dell' acquirente, abbia realmente consegnata la cosa, e questa poi gli sia stata restituita non più a nome proprio, ma a nome e vece dell' acquirente . . . S' intende ancora trasferito il possesso di una cosa colla descrizione della medesima ne' libri del pubblico Catasto fatta dall' alienante sotto nome dell' acquirente, gli antichi la chiamavano *professio censualis*, ed oggi dicesi *la voltura*.

CAPUT VIII.

De Dominii affectionibus, et effectibus.

§. 287. Vulgare dominium, de quo solummodo hic agimus (dominium enim eminens unice summis Imperantibus competit) vel plenum est, vel imminutum. Plenum, potestatem importat de re disponendi quovis prorsus modo rectæ rationi non repugnante. Imminutum vero, potestatem tribuit de re disponendi plus minusve circumscriptam. Vel enim rei alienatio

nobis omnino interdicitur, aut certis arctatur limitibus, prout evenit in fideicommisso, vel alius habet jus rem nostram in nostrum commodum administrandi, ut proximiores agnati, et cognati respectu minorennum, vel quemdam rei nostræ usum per modum servitutis alteri concedere tenemur, vel rei nostræ ususfructus extra commodati, aut locationis contractum ad alium pertinet, vel denique ipsa nostra proprietas ita restringitur, ut alteri cum plenissimo jure utendi, fruendi, concessum quoque sit jus rem ipsam quoad usumfructum alienandi cum quadam perpetuitate conjunctum. Ubi qui retinet proprietatem ita restrictam, et superiorem in re potestatem, habere dicitur dominium directum; qui vero cum jure utendi fruendi participat etiam dicto modo de proprietate, habere dicitur dominium utile rei sibi concessæ.

§. 288. Jam vero si ab uno in alium dominium aliquomodo imminutum transferatur, patet, novum dominum non melioris esse conditionis, quam primum, ideoque rebus acquisitis non aliter uti posse, quam ipsius imminuti dominii natura patiatur: secus vero si translatum fuerit dominium plenum, quod (§. 287.) amplissimam potestatem importat de re disponendi quovis prorsus modo rectæ rationi non repugnante.

§. 289. Sed patet etiam, neminem rationabiliter invitum dominio sive pleno sive im-

minuto, quod facto legitimo in res quaslibet acquisivit, expoliari posse: id enim procul dubio importat jus alios a datæ rei usu excludendi, in quo potissimum dominium situm esse diximus.

§. 290. Hinc autem sponte sequitur veritas illius tritissimi adagii, quod res ubivis et in cujuscumque manibus existens clamat ad Dominum; qui proinde illam iterum sibi vindicare potest eo ferme pacto, quo unusquisque famæ, vel honoris immerito læsi, reparationem exigendi etiam per vim naturale jus habet.

§. 291. Cum ergo unius juri semper alterius obligatio respondeat (§. 39.), dubitari non potest, quin aliena possidens ea legitimo domino debeat restituere, sive hactenus bonæ fidei possessor fuerit, sive malæ fidei, quamvis in reliquis maximum sit inter utriusque obligationes discrimen. Quod ut probe intelligatur, advertendum: 1., illum bonæ fidei possessorem censeri, qui talia habet argumenta de legitimitate suæ possessionis, ut nulla ipsi remaneat prudens de hoc dubitatio, dum contra malæ fidei possessor ille dicitur, qui vel certo scit, se legitimum possidendi titulum non habere, vel cognoscens, illum respectu juris alieni valde incertum esse, rem sedulo examinare non satagit. Advertendum 2., ipsum bonæ fidei possessorem ubi rem quam possidet alienam esse novit, si quam primum commode potest non restituat, in malæfidei possessorem degenerare.

§. 292. Hisce positis, cum jus suum sit unicuique tribuendum, res quælibet domino suo fructificet, ac denique nemo cum alterius damno ditior fieri debeat, palam in primis fit, quod si adhuc integra, vel partim existat res aliena, tum bonæ, cum malæ fidei possessor debeat illam in individuo cum naturalibus, casualibus, et mixtis, non vero mere industrialibus fructibus domino restituere, exacta compensatione pro laboribus, et impensis ad illius culturam conservationem, aut meliorationem necessariis, aut utilibus. Sin autem res, vel præfati fructus quavis de causa non amplius existant a bonæ fidei possessore id solummodo restituendum, in quo ex re aliena factus est ditior. At possessor malæ fidei sive res et fructus existant, sive non, tenetur insuper damna omnia compensare, quæ domino ex rei carentia obvenere, quia nimirum fuit illorum omnium causa moralis.

§. 293. Ex traditis regulis inferes: 1, bonæ fidei possessorem, qui rem alteri donavit alias e suis non donaturus, ad restitutionem non teneri, quia ex alieno factus non est ditior, teneri autem si alias e propriis donaturus erat in quantum suis rebus pepercit, prout etiam si occasione doni aliud donum recepit pro majori vel minori hujus æstimatione, nisi forte illud expenderit nil secus de suis expensurus. Inferes 2., tum bonæ cum malæ fidei possessorem, qui ex aliena pecunia lucrum

negotiando reportavit (secluso domini damno emergente, aut lucro cessante) ad solius pecuniæ, non vero lucri restitutionem teneri, quia pecunia de se sterilis est, et lucrum ex negotiatione haustum fructus est mere industrialis. Inferes 3, a possessore malæ fidei deberi domino fructus omnes, etiam mere industriales, quos hic e re sua licite percepisset, quamvis ille non perceperit, non autem compensationem lucri illiciti ex. gr. usurarii, quod inde dominus percepisset, quia nemo damnum pati censetur ex privatione lucri, quod sine morali inordinatione habere non poterat. Inferes tandem, quod si dominus pecuniam, aut aliam rem fungibilem reservaturus erat in tempus quo pluris erat valitura, quam initio et fine tuæ injustæ possessionis, teneris hunc majorem valorem domino rependere; secus vero si non erat reservaturus. In casu autem dubii plus minusve pro ejusdem dubii ratione restituendum.

CAPUT IX.

De Pactis et Contractibus.

§. 294. Dominium ab uno in alium per liberam utriusque voluntatem sufficienter exterius declaratam naturaliter transferri docuimus (§. 286.). Jam vero hæc mutua conventio, sicut etiam alius quilibet duorum vel plurium

in idem placitum consensus aliquo sensibili signo declaratus, et perfectam in uno saltem ex illis obligationem producens pactum vulgo appellatur,cujus naturalis effectus ut ex ipsa definitione liquet, perfecta est obligatio id omne adimplendi, in quod unusquisque consensit. Quid enim humanæ fidei magis congruum, quam ea servare, quæ mutuo placuere. Imo quid ad societatem inter homines retinendam magis necessarium? Siquidem teste Aristotele *Lib.* 1. *Rethor. Cap.* 15. sublatis pactis (quæ profecto si perfectam obligationem non producerent, inutilia forent) tollitur inter se usus hominum.

§. 295. In definitione autem diximus, ex pactis in uno saltem paciscentium perfectam obligationem oriri, quia pacta dividuntur in contractus stricte sumptos, qui ultro citroque obligationem pariunt (ut emptio, venditio, locatio, conductio etc.), et in mera pacta ultro dumtaxat citrove obligantia (ut simplex promissio vel donatio a promissario, vel donatario acceptata), quæ idcirco semi-contractus, vel etiam contractus late sumpti appellantur.

§. 296. Verum cujuscumque generis pactum ut perfectam obligationem inducat requiritur: 1., quod consensus objectum in individuo sit physice ac moraliter possibile, hoc est nec physicas paciscentium vires excedat, nec anterioribus eorumdem officiis vel erga Deum, vel erga se, vel erga alios opponatur. Requiritur 2. quod consensus exterior sit interiori conjun-

ctus, quem tamen si in ipso paciscendi actu non præbuisti, teneris postea præbere, ut injustam alterius deceptionem tollas. Requiritur 3. quod interior consensus sit plene deliberatus: unde amentium, ebriorum, infantium, et semi-dormientium pacta nullius ponderis censenda sunt, sicut etiam illa, quæ ex errore vel dolo circa rei substantiam, pacti naturam, vel principale motivum intrinsecum processere. Sic nulla est venditio vasis aerei pro aureo, nullum Jacob matrimonium cum Lia quæ Rachel putabatur; nulla domus locatio facta Cajo, qui putat domum sibi donari; nulla denique mille aureorum promissio facta Sempronio, quia consanguineus existimatur, cum talis non sit. Quin imo error etiam vel dolus circa rei qualitatem accidentalem a paciscente ita intentam, ut sine illa explicite, vel implicite pacisci nolit, pactum procul dubio invalidum reddit. Hoc enim in casu qualitas illa una cum rei substantia pacti objectum substantiale ingreditur, et non adest paciscendi voluntas, nisi qualitate illa posita tanquam conditione sine qua non. Sin vero talis conditio nec explicite, nec implicite pacto fuerit apposita, error vel dolus circa rei qualitatem accidentalem nullatenus pactum invalidat, imo si alter paciscens nullam in dolo partem habuit, nec illud rescindibile facit ad nutum decepti, quamvis ad hujus nutum rescindi possit, si error ex alterius paciscentis dolo procedens dederit causam contractui, et iste sit e nume-

ro solubilium, quia dolosus paciscens injuriam alteri per dolum illatam tenetur compensare; ideoque alterum in pristinam libertatem, si ita hic velit, restituere. Eadem de causa contractus initus ex metu vel absolute, vel respective gravi ab uno e paciscentibus vel per se vel per alium injuste incusso ad alterius consensum extorquendum hujus arbitrio rescindibilis est. Unde quamvis ex animo certam pecuniæ summam latroni secus tibi mortem minitanti promiseris, solvere non teneris, quia ut mox diximus, in tua est potestate consensum injuste extortum revocare, nisi forte promissionem tuam sincero, et voluntario juramento confirmaveris. Tunc enim dummodo promissio fuerit licita, et illius executio a superiore intuitu boni communis non prohibita, fere communiter Catholici docent ob Numinis reverentiam promissionem esse servandam (nisi a summo Pontifice juramenti relaxationem obtinueris) quamvis postea latronem cogere possis ad restituendum quod injuste recepit (1. 2).

(1) Potestas civilis indirecte tantum potest relaxare obligationem ortam ex promissione jurata, prohibendo scilicet rationabili de caussa, et potissimum ob bonum commune ne id fiat, quod promissum est.

(2) Si quis juramento promisisset se non denuntiaturum eos qui contra Rempublicam vel supremum Principem conjurationem inierunt, non tenetur juratam promissionem servare, quia talis observantia opponeretur bono communi, ideoque foret illicita.

CAPUT X.

De Pactorum interpretatione, ac Dissolutione.

§. 297. Non raro verba in pactis ineundis adhibita interpretatione indigent, ut dignoscatur quid paciscentes ad invicem sibi debeant. Non incongruum ergo erit duas generales regulas in pactorum, (itemque legum testamentorum etc.) interpretatione servandas hic subjungere. In primis itaque paciscentium verba semper in proprio, communi, et obvio sensu sunt accipienda, nisi peculiaris aliqua circumstantia contrarium suadeat. Hinc perfidus procul dubio censendus Tamerlanus, qui fide hostibus data de ipsorum sanguine non effundendo, vivos jussit eos sepeliri; ex communi enim loquendi more sanguinem non effundere idem prorsus est ac vitæ parcere. Voces autem technicæ si ambo paciscentes fuerint periti, juxta regulas artis ut plurimum explicandæ; sin vero uterque, vel alteruter fuerit imperitus, et de sensu technico non instructus vulgari sensu accipi debent, quia unusquisque loquitur juxta ideas, quas habet. Quod 2., si voces in pactis adhibitæ ambiguæ sint, et plures pati possint sensus, ad conjecturas recurrendum, quæ potissimum ex subjecta materia, effectibus, adjunctis et fine pactorum sunt repetendæ. Ex primo capite perfidi procul dubio fuere Platæen-

ses, qui teste Thucydide *Lib.* 2. *Cap.* 5. *et* 6. cum Thebanorum captivorum restitutionem promisissent, captivos non vivos sed mortuos reddidere: agebatur enim de vivis hominibus, non de cadaveribus mortuorum. Veferrimus item ex 2. capite cavillator fuit Brasidas, qui cum a Thebanis ingentem pecuniæ summam accepisset, iisque vicissim promisisset, se ab eorum terra discessurum, postea caussatus est, suam esse terram, quam suo exercitu occupabat. Immerito contra ex tertio capite Pericles cum hostibus quibusdam pactus ut ferrum deponerent, eos postea violati pacti insimulavit, quod non deposuissent fibulas ferreas, quas in laciniis vestium gerebant; ex adjuncta enim qualitate hostili patet, eos ferri nomine arma solummodo intellexisse. Improbe tandem ex quarto capite lusisse dicendus est Quintus Fabius Labeo, qui cum ex fœdere dimidiam classis partem a Rege Antioco recipere deberet naves omnes teste Valerio Maximo *Lib.* 7. *Cap.* 5. medias dissecuit, ut integra classe Regem spoliaret, cum tamen contrarium omnino fuisse Regis finem in fœdere pangendo, evidentissime constaret.

§. 298. Hisce de pactorum interpretatione breviter delibatis, modos nunc indicare præstat, quibus obligatio ex iis orta solvatur. Primus, ut liquet, est accurata, et completa præstatio rerum seu operum, de quibus paciscentes convenere. Secundus est mutuus con-

trahentium consensus iis omnibus circumstantiis indutus, quas (§. 296.) recensuimus: nam unusquisque juri per pactum sibi acquisito potest procul dubio renunciare. Tertius est superveniens rei conventæ impossibilitas turpitudo, vel inutilitas. Quartus est talis materiæ mutatio, ut prudenter judicetur, paciscentes noluisse in tali eventu se obligare. Quintus denique est unius e paciscentibus perfidia: injustum quippe non est ut frangenti fidem fides frangatur eidem; secus hic fructum e sua iniquitate reportaret. Unde a nimiæ simplicitatis nota excusari nequit Rex ille, qui teste Philostrato fœdus cum vicino percussum sancte se custoditurum professus est, quamvis contra fœderis leges arma vicinus moveret. Adverte tamen, non omnia mox dicta ad matrimoniale pactum extendi posse. Huic enim singulares omnino, ut infra videbimus, competunt prærogativæ. (1)

(1) Cicero *Lib.* 2. *de Inventione Cap.* 40. ait: « Quæ sententia inscriptis fuerit ex cæteris ejus scriptis, ex dictis, factis, animo, et vita ejus sumi oportebit ». Quidam, teste eodem Tullio, *ibid.*: « In testamento legatum constituerat: hæres meus vasorum argenteorum pondo 100. novercæ quod volet dato ».

Apud Quintilianum *Declamat.* 332. talis proponitur casus: « Pauper et dives amici erant, dives testamento alium amicum bonorum hæredem instituit pauperi dari jussit, id quod ille sibi testamento daret. Apertæ sunt tabulæ pauperis: omnium bonorum instituerat hæredes. Petit totam divitis hæreditatem. Ille qui scriptus erat vult dare tantum quantum in censum habet pauper ».

Quoad primum poterat vitari ambiguitas addita

voce *ipse* vel *ipsa*; naturali tamen æquitate congruum videtur quod penes novercam esset optio. Si enim hæc hæredis esse debebat, opus non erat addere clausulam, quæ volet. Quoad secundum pro hærede scripto id cum primis argumentum valere potest, quod alia ejus institutio nullum esset habitura effectum. Quæ etiam inter præcipuas causas fuit, cur Lex Falcidia, et Senatus Consultum Pegasianum hæredi legatario et fidei commissario hæreditatis portionem assignaverit.

Locri in extremam Calabriæ oram ex Græcia delati regionem illam invenerunt a Siculis possessam, qui improviso Locrorum adventu perterriti eos receperunt, et in hæc verba fœdus cum illis inierunt: amicitiam cum Siculis Locros servaturos: et regionem hanc pro communi ambobus populis habituros quamdiu terræ huic pedibus insisterent, et imposita humeris capita gestarent. Cum ita convenissent Locri ad præstandum juramentum accessere terra calceamentorum solæ injecta, et aliorum capitibus, ita humeris suppositis, ut non apparerent. Deinde terram e calceis excusserunt, et aliorum capita abjecerunt, moxque ubi primum data est occasio Siculos e regione expulerunt (apud Thucididem *Leg*. 5. *Cap*. 45.). Simile est quod refert Olcarius *Itin*. *Pers*. *Lib*. 4. *Cap*. 30, nempe cum quidam Indiæ Regulus ad Regem Persarum confugisset, et Rex Indorum istum sibi, misso Legato, tradi posceret, Persarum Legatus admittitur. Supplicem corbi impositum ex arbore tantisper suspendit, et postea negat, supplicem in sua terra esse.

Quamvis venditor emptori promiserit quod ipsum in re empta velit defendere contra quemcumque, non tamen (ex subjecta materia) intelligitur promisisse defensionem a violentia extrajudiciali.

Vox armorum, quæ aliquando instrumenta bellica, aliquando armatos milites notat, pro substrata materia in hunc aut alium sensum est accipienda: ex. gr. si conventum sit, ne quis tertio alicui arma inferat manifestum est intelligi milites, et exercitum. Sin autem in alicujus præsidii deditione conveniatur de tradendis armis, aut iisdem in loco relinquendis, discedendi facultas militibus conceditur instrumentis bellicis relictis.

Lex alicubi erat: « qui propter tempestatem navem

relinquerent, omnia perdant; navis, cæteraque eorum sint, qui in navi remanserint »: magnitudine tempestatis omnes perterriti navem relinquerint, et in scapham conscenderunt præter unum ægrotum, qui propter morbum exire, et fugere non potuit. Casu navis in portum incolumis evasit. Illam ægrotus possidet. Navim petit ille cujus fuerat. Hic sane ratio legis fuit, ut qui ob navim servandam vitam suam periculo exposuit, aliquo præmio gaudeat. Quod ægrotus hic prætendere non potest, qui neque eo fine in navi remansit, neque ad eam servandam quidquam contulit.

CAPUT XI.

De Contractibus in specie.

§. 299. E contractibus alii dicuntur benefici, qui ex una parte onus, ex alia commodum important, ut promissio, donatio, commodatum, precarium, mutuum, depositum, mandatum, et fidejussio; alii onerosi, qui ex utraque parte onus, et commodum important, ut permutatio, emptio, venditio, locatio, conductio, societas, et omnes illi, quos innominatos vocant, quia proprio carent vocabulo, et sub genericis illis formulis continentur: « Do ut des, do ut facias, facio ut facias, et facio ut des »; alii denique aleatorii, seu aleam continentes, quorum utrinque onus et commodum ab incerto eventu dependet, ut assecuratio, lotharia, census vitalitius, ludi, et sponsiones vulgo *scommesse*. De singulis breviter.

§. 300. Promissionis nomine non intelligitur nuda assertio, qua declaramus, quid fa-

cere hic, et nunc cogitemus, quin tamen alteri explicite, vel implicite ullum perfectum jus conferre intendamus id a nobis exigendi; imo nec simplex pollicitatio, quæ talem collationem juris ex parte offerentis, importat quin tamen ab alio acceptetur, sed pollicitatio perfecta, quæ scilicet explicite, vel implicite fuerit ab alio acceptata. Hujus porro perfectæ promissionis naturalis effectus (dummodo nullum desit e requisitis (§. 296.) indicatis) est perfecta promittentis obligatio id omne adamussim præstandi, quod promisit. Talis enim perfecta obligatio evidentissime juri perfecto in alium translato respondet. Quid vero si promissio facta sit ob causam turpem, seu opus illicitum? Hanc ante illiciti operis executionem invalidam esse patet ex dictis (§. 296.). Post illiciti autem operis executionem verosimilior sententia videtur ex officio mere naturali, et præscindendo a quavis lege positiva contraria, fidem esse servandam, ne præter injuriam executori jam illatam ad turpe opus illum alliciendo, alia eidem inferatur ipsum decipiendo, seu promissa mercede fraudando. Ita Grotius, De Lugo, Divus Thomas, aliique.

§. 301. Donatio generatim est libera, et gratuita rei vel juris nostri alienabilis in alium translatio. Triplex autem distinguitur: vel enim volumus, rem ipso donationis momento evadere donatarii, nec usu nobis ad tempus reservato; vel volumus, id ipsum locum habere in

solo casu, quod aliqua vitæ nostræ tempore verificetur conditio; vel denique volumus, a donatario vitæ nostræ tempore possessionem et usumfructum rei donatæ non acquiri, sed solummodo jus ad rem illam post mortem nostram sibi vindicandam, ita ut potestatem abdicemus præsentem nostram voluntatem immutandi vel absolute, vel nonnisi conditione aliqua posita, ex. gr. si donatarius donantem insigni afficiat injuria, aut si donanti orbo postea propria proles nascatur.

§. 302. Jam vero quod hujusmodi donationes in statu etiam mere-naturali licitæ, et validæ dicendæ sint, nemo sanus dubitabit. Quid enim juri naturali magis conveniens, quam dominum, re sua uti prout ipsi videtur? Quid magis homine dignum, et ad colendam ac devinciendam societatem accomodatum, quam liberalitate, ac munificentia aliis hominibus prodesse?

§. 303. De validitate testamentorum, et successionum ab intestato hic non loquimur, quia hujusmodi quæstiones ad Professorem Juris Naturæ ac Gentium specialiter pertinent.

§. 304. Commodatum est contractus, quo rei alicujus usus a domino gratis alteri conceditur cum onere id ipsum in individuo restituendi, ususque, modus, quantitas, et terminus a domino præscribitur. Quare commodantis voluntas vel expressa, vel rationabiliter præsumpta commodatarii obligationes dimetietur. Porro si

res commodata deterior fiat ex prudenti usu concesso , in id jam commodans consensit. Item si res commodata perit vel corrumpitur ex inevitabili infortunio , cujus vi etiam penes dominum periisset , vel corrupta fuisset, locum non habet damni sarcitio, quia commodans ex commodato factus non est deterioris conditionis. Quid vero si res commodata non æque penes dominum periisset, vel corrupta fuisset? Ad hanc solvendam quæstionem tres casus distinguamus oportet. Ac 1. si commodatum initum fuerit in utilitatem solius commodatarii, hic ad damnum compensandum teneri videtur, quia ex naturali æquitate sentiens commodum, sentire debet et incommodum. Si vero secundo commodatum initum fuerit in gratiam solius commodantis , hic damnum feret , quia commodatarius voluisse non præsumitur casum fortuitum in se suscipere, sine ullo suo emolumento. Denique si commodatum utriusque utilitati inserviat , integrum damnum dominus patietur, quia generatim quidquid perit , domino perit. In primo autem casu commodatarius ad compensationem procul dubio tenetur, nedum ex dolo, sed ex culpa etiam levissima; in secundo ex dolo, et culpa lata, in tertio ex dolo, et culpa nedum lata, sed etiam levi.

De Precario necesse non est singillatim agere , cum a commodato non differat nisi per hoc , quod in precario tempus præfixum non est, sed pendet ab æquitate domini, et a necessitate accipientis.

§. 305. Ad mutuum nunc accedentes ita nuncupatum, quasi *ex meo tuum*, illud esse dicimus contractum: « quo quis rem suam sic alteri tradit, ut statim accipientis propria fiat cum onere postea eamdem non in individuo, sed specie et bonitate reddendi ». Quæ conventio implicite saltem adhibetur, quoties alteri cum restitutionis onere talis rei usus conceditur, ut illo posito impossibile sit rem eandem in individuo restituere.

§. 306. Ex hac porro definitione sequitur, dominium rei mutuatæ a mutuante in mutuatarium transire, qui proinde omnem culpam et casum in se suscipit, ita ut quacumque ex causa res pereat, mutuatario pereat. Jam vero nil magis naturali justititiæ adversatur, quam lucrum quodvis utcumque tenue, ac moderatum exigere ex re non sua. Quævis ergo usura, quæ definitur: « Exactio lucri ex mutuo vi mutui ». Nedum evangelicæ legi verbis illis expressæ: « mutuum date nihil inde sperantes »; sed etiam naturali justitiæ omnino repugnans dicenda est, quidquid contra blaterent Protestantes.

§. 307. Diximus tamen usuram consistere in exactione lucri ex mutuo vi mutui, quia aliquid ultra sortem exigere a mutuatario ex titulo damni emergentis, lucri cessantis, vel pœnæ conventionalis ob culpabilem restitutionis moram naturali profecto justitiæ non adversatur. Sicut enim ex una parte æquum non est,

ut quis dispendium patiatur, unde videtur præmium meruisse, ita ex alia æquissimum est, ut pœna conventionalis ad majorem contractus firmitatem, consentiente mutuatario, statuta ab eodem culpabiliter moroso solvatur, dummodo pœna moderata sit juxta culpæ et rei mutuatæ mensuram.

§. 308. Sin autem inquiras, quænam conditiones requirantur ad aliquid licite ultra sortem exigendum ex titulo damni emergentis, aut lucri cessantis, reponimus: 1. mutuum esse veram causam cur damnum emergat, aut lucrum cesset, vel cessaturum prævideatur, ita ut proinde si mutuator aliam habeat pecuniam otiosam (seu sincere non destinatam ad alios justos fines ex. gr. ad negotiationem, filiarum dotationem, familiæ substentationem, casus fortuitos prudenter præcavendos etc.), qua commode possit vel imminens damnum reparare, vel idem quod ex re mutuata lucrum comparare, nil ultra sortem licite possit exigere. Dicimus 2. mutuatarium ante contractum de imminenti damno, aut lucro cessante monendum esse, ut libere, vel in compensationem consentiat, vel alibi sine tali onere sibi provideat. Dicimus 3. mutuatarium cogi non posse ad aliquam solvendam determinatam quantitatem pecuniæ vel alterius rei fungibilis quidquid evenerit, si velit se obligare ad integrum damnum quod emerget, aut lucrum, quod cessabit, compensandum: sic enim mutuatoris indemnitati satis consulitur.

Quod si mutuatarius libere conveniat de certa pecuniæ, vel alterius rei fungibilis quantitate quovis in casu solvenda, quis non videt in illa determinanda rationem habendam esse majoris vel minoris probabilitatis, qua damnum secuturum, aut lucrum cessaturum prævidetur ; et ita quidem, ut solutio eo tantum tempore implenda statuatur, quo alterutrum eventurum prudenter timetur : tunc enim solummodo præfati tituli urgent.

§. 309. Hactenus dicta de mutuo locum etiam habent in aliis contractibus, qui tametsi alio nomine, aliaque specie vestiantur, revera tamen nil aliud sunt, quam palliatum, et opertum mutuum : unde lucrum ex iis immediate perceptum usura dicitur palliata : quæ non minus naturali justitiæ adversatur, quam aperta. Huc pertinent potissimum contractus mohatra, et cambium siccum, quorum naturam, et injustitiam breviter exponemus.

§. 310. Itaque contractus vulgo dictus *Mohatra* initur cum homo pecunia indigens emit credito ab alio merces pretio summo ex. gr. centum aureorum cum pacto retro venditionis numerata pecunia pretio infimo ex. gr. 95. aureorum. Jam vero in hujusmodi contractu esse inæqualitatem, ideoque naturalem injustitiam, evidentissime patet : nam emptori ultra solutionem pretii justi summi onus imponitur pretio extimabile mercem retrovendendi pretio infimo, quod onus ab emptore aufert liberta-

tem, vel apud se mercem retinendi, vel illam summo aut medio pretio vendendi. Præterea hujusmodi contractus quoad effectum æquivalet mutuo usurario; nam perinde se habet, ac si venditor mutuo daret minorem pecuniæ summam, ut majorem postea reciperet. Merito igitur ab Innocentio XI. damnata est sequens propositio: « Contractus Mohatra licitus est etiamsi respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri ».

§. 311. Similiter mutuo usurario procul dubio æquivalet cambium siccum, seu fictum, quo, ad differentiam cambii realis, seu veri, pecunia pro pecunia nec manualiter nec localiter vere permutatur, sed solum localis pecuniæ permutatio fingitur ad lucrum percipiendum. Imo usurarium quoque dici debet, secluso alio titulo justo, cambium temporale, quo pecunia Romæ traditur alibi post certum tempus cum lucro restituenda ex. gr. Senogalliæ ad proximas nundinas. In tali enim cambio patet, lucrum non exigi, nisi pro carentia pecuniæ ad certum tempus, et pro solutionis dilatione, ideoque quo remotiores sunt nundinæ, eo majus lucrum exigitur. Jam vero lucrum exigere pro temporali carentia pecuniæ, et pro solutionis dilatione, est procul dubio lucrum exigere ex mutuo vi mutui, in qua exactione (§. 306.) vidimus usuram consistere. Ergo etc.

§. 312. Nec ut plurimum usuræ labe ca-

ret cambium obliquum, quo mutuatarius onus assumit cambiis negotiandi tantam pecuniæ summam, quantam ab alio mutuam accepit, in hujus tamen commodum, et utilitatem, cui proinde mutuatarius solvere quotannis tenetur quantum lucratur, aut prudenter lucrari posset, donec ei mutuum restituat. Quid enim absurdius, quid incredibilius fingi potest, quam quod Titius indigens mille aureis, quos mutuo accepit a Cajo, totidem statim paratos habeat in activa cambia erogandos in mutuantis Caji utilitatem? Nonnisi ergo ad palliandam usuram ut plurimum dictæ involutæ ambages adhibentur. Dixi tamen ut plurimum, quia fieri potest, ut mutuans licite tantumdem exigat ex titulo damni emergentis, aut lucri cessantis. Sed hoc etiam in casu satius foret hunc legitimum titulum in medium proferre, quam ad obliqui cambii anfractus recurrere; qui vehementem fraudis et doli suspicionem fere semper ingerunt.

§. 313. Diversimode loquamur oportet de cambio reali, sive manuale illud sit, quod consistit in vera permutatione pecuniæ præsentis cum præsenti diversæ speciei et rationis ex. gr. aureæ cum argentea, minoris cum majore, patriæ cum externa etc., sive locale, hoc est per litteras, quod consistit in vera permutatione pecuniæ præsentis cum distanti, ex. gr. si aliquis campsori (vulgo banchiere) pecuniam Romæ numeret, et campsor illi det litteras cambii, quarum vi eandem summam recipiat Parisiis.

Nam ex cambio manuali, seu minuto licite procul dubio exigitur lucrum moderatum secundum leges, aut consuetudines locorum, vel communem peritorum extimationem ratione laboris et operæ in conquirendis, coacervandis, et custodiendis diversis monetarum speciebus; ex cambio vero locali, seu per litteras ratione trajectionis realis, vel virtualis pecuniæ de loco in locum, cui trajectioni faciendæ campsor operam suam locat suscepto in se omni labore et periculo: quæ quidem opera, labor, et periculum in gratiam alterius suscepta sunt pretio æstimabilia. Sed jam tempus est, ut unde discessimus, redeamus.

§. 314. Plura quidem a Protestantibus pro usuræ moderatæ defensione congeruntur, partim ex naturali ratione, partim ex sacris litteris, partim denique ex praxi omnium fere populorum. Sed omnia facillime diluuntur. Si enim nobis objiciant verba illa Dei nomine ad Hebræorum populum directa *Deut.* 23. *Ver.* 19. « Non fœneraberis fratri tuo ad usuram, sed alieno ». Omissa responsione Ambrosii *qui Libro de Tobia Cap.* 5. ait: « Quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amorrhæus, nisi hostis? Ab illo usuram exige, cui merito nocere desideras. Cui juste inferuntur arma, huic legitime inducuntur usuræ . . . Ab hoc usuram accipe, quem non sit crimen occidere. Ergo ubi jus belli, ibi jus etiam usuræ ». Quod ta-

men de usura materiali, et apparenti sumendum est, quatenus occasione mutui recuperatur quod suum est : hac, inquam, omissa responsione, dicimus cum Divo Thoma 2. 2. *Quæst.*78. *art.*1. *ad* 3. quod: « accipere usuras ab extraneis non fuit Judæis concessum quasi licitum, sed permissum dumtaxat, ac toleratum ad majus malum vitandum, ne scilicet a Judæis verum Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui erant impense dediti ». Et re quidem vera *Psal.* 14. *Ver.* 5. usura universim damnatur, cum dicitur : « Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum. . . . qui jurat proximo suo, et non decipit : qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit ». Ubi cum usurarum exactio dolo, proximi damnificationi perjurio, et munerum acceptioni super innocentem comparetur, satis innuitur, illam non minus, quam hæc alia naturalibus officiis omnino repugnare.

315. Si vero moderatæ usuræ patroni dicant, illam ab omnibus fere humanis legumlatoribus fuisse permissam, reponimus, id etiam factum esse ad majus malum vitandum, ne scilicet ex hominum malitia, gratuita mutua denegantium, bonum commune multitudinis impediretur, et plures multis commoditatibus ca-

rerent, quas consequuntur ex pecunia mutuata, licet sub usuris.

316. At nonne ajunt nostri adversari, minus est habere actionem quam rem? Jam vero mutuator non habet rem, quam mutuatur, sed solum actionem in mutuatarium, quæ sæpe moleste instituitur. Mutuator ergo vi mutui aliquid minus habet, quod profecto est pretio æstimabile, et modica usura pensandum. Nonne rursus est pretio æstimabile jus quod acquirit mutuatarius utendi ne consumptibili cum obligatione illam non statim, sed post certum temporis intervallum non in individuo, sed in specie, et bonitate restituendi? Nonne 3. est pretio æstimabilis commoditas, et utilitas, quam ex mutuo percipit mutuatarius? Ita profecto, et hisce de causis montes etiam, qui vocantur *pietatis* aliquid ultra sortem exigunt. Præterea nonne unusquisque licite potest librum, equum, pallium etc. suum alteri utendum concedere, vel gratis, ut in commodato, vel pacta mercede, ut in locato? Quid ergo prohibet, quominus unusquisque licite alteri utendam concedat pecuniam suam vel gratis, ut in mutuo, vel pacta mercede, ut in contractu fœnebri. Denique impudentissimus foret mercator, vel alius non pauper, qui ex pecunia mea vellet rem suam notabiliter augere me in partem lucri non admisso, præsertim cum si meam pecuniam alteri mutuatus non fuissem, lucrum

fortasse majus ex illa, quæ civiliter fœcundissima est per commercia comparare potuissem.

§. 317. Speciosa hæc deliramenta nullam prorsus vim habent ex eo quod rei mutuatæ dominium ut vidimus (§. 306.) vi mutui a mutuante transeat in mutuatarium. Ex hoc enim ex una parte sequitur, quod mutuatarius utpote rei mutuatæ dominus ejusdem commoditatem, atque utilitatem percipiat, simulque jus acquirat illa utendi, cum onere illam specie reddendi post certum tempus, et ex alia quod mutuans non amplius rei mutuatæ dominus non rem habeat, sed solam actionem. In commodato autem et locato rei dominium non transfertur, unde comparatio ab adversariis quarto loco instituta non valet. Montes autem pietatis licite aliquid ultra sortem exigunt non vi mutui, sed pro mercede ministrorum aliisque necessariis impensis. Tandem cum in quovis contractu licito æqualitas omnino servari debeat, is qui particeps vult esse lucri, particeps etiam debet esse periculi. At mutuator vi mutui, dummodo cautiones exigat opportunas, nullo subjacet periculo sortis amittendæ quam in casu quovis mutuatarius restituere tenetur. Nec ergo lucrum utcumque modicum potest licite mutuator participare ex mutuo vi mutui, sed solum ex titulo damni emergentis, aut lucri cessantis cum conditionibus indicatis (§. 308). Sed tempus jam est alios gratuitos contractus enumerandi.

§. 318. Depositum est contractus, quo res aliena in custodiam nobis traditur. Hinc nullus nobis illius rei usus competit, nisi expresse vel tacite consentiente domino: quo in casu commodati naturam induit. Si culpa nostra depositum vel pereat, vel deterius fiat, damnum a nobis resarciendum, si vero ex casu fortuito, damnum domino ferendum esse patet. Et quoniam depositum nostræ custodiæ ac fidei committitur, eadem in illo custodiendo est adhibenda diligentia, quam pro custodia rerum nostrarum adhibemus. Quod si talis custodia sine sumptibus haberi nequeat, deponens pro expensis satisfaciat. Hic porro disputatur: 1., num depositarius certo sciens, rem apud se depositam esse furtivam, illam restituere teneatur deponenti furi, vel potius domino, cum ambo illam reposcant. Difficilis quæstio: nam si restituat deponenti, furti continuationi favet; si domino, fit judex controversiæ sine auctoritate, fidemque præstitam fallit. In tanta officiorum collisione probabilius videtur in actuali statu civilis societatis rem certo furtivam a depositario dandam esse Magistratui, qui auctoritative illam domino restituat. Disputatur 2. num depositarius licite possit sibi depositum arrogare in compensationem rei ex perfecta obligatione a deponente sibi debitæ. Distinguendum hic arbitror. Si deponentis debitum ante depositum contractum est, et ante depositum solvendum

erat, non videtur licere depositario depositum in rem suam convertere, quia dum depositum acceptavit, pro deposito, non pro solutione stipulatus fuit; et quamvis in statu naturali liceat privatam vim adhibere ad propria perfecta jura tuenda, non tamen licet dolo uti. Si vero deponentis debitum fuit deposito posterius, jure saltem externo non injustum erit depositum in compensationem sibi arrogare; sed honestius erit intemeratam fidem servare. Disputatur 3. utrum depositum quovis in casu deponenti postulanti reddendum sit. Et merito negatur. Quando enim restitutio aut deponenti, aut depositario, aut aliis perniciosa sit, ipse amor socialis, qui hujus contractus fundamentum est, postulat ut restitutio suspendatur. Sic non restituam pecuniam aut gladium apud me depositum homini furenti, et disposito ad utendum iis rebus in sui vel aliorum perniciem. Nec aliquis jure poterit a me depositum suum exigere, si domus, in qua servatur fortuito ardeat.

§. 319. Mandatum est contractus beneficus, quo quis gratis alterius negocia hoc postulante et committente suscipit expedienda. Fundamentum hujus contractus est mandantis fiducia de mandatarii honestate et amicitia. Quare summa perfidia est mandantem decipere, et omnimodam diligentiam non præstare. Culpa igitur etiam levis mandatario imputatur, nisi

ſorte mandans non ignorans, illum etiam in rebus suis magni momenti dissolutum esse, nihilominus illi negocium suum commiserit. Mandans vicissim indemnem reddere debet mandatarium a sumptibus pro executione mandati necessariis, nec non a jacturis, quæ directe a mandati susceptione huic obvenere, non tamen ab iis, quas indirecte passus est, vel quæ illi extra talem casum ingruebant. Hic quæri solet, utrum negocio tibi commisso, et quid ſaceres omnino definito, aliquid contra ſacere debeas, aut licite possis quoties prosperius, et ex majori mandantis utilitate res eventura videatur. Committentis animum commissionis verba, et propriam conditionem hoc in casu mandatarius attente perscrutari debet. Si mandans facilis naturæ sit, si aliquid in mandato relinquatur mandatarii prudentiæ, laudabile procul dubio erit oblatam occasionem arripere prosperius, et utilius rem gerendi etiam citra mandatum. Sin vero mandans sit inexorabilis, si verba mandati omnino definitiva, si mandatarius mandantis imperio subsit, rectius erit ne tantillum quidem a mandato discedere, præsertim si utilitas ex diverso agendi modo proventura non sit certissima.

§. 320. Fidejussio est contractus beneficus, quo quis gratis obligatur alteri ad implendam erga hunc obligationem a tertio contractam, si forte tertius debitum suum non præ-

stet. Patet ergo, fidejussorem ad nihil teneri, quando principalis debitor suis obligationibus accurate satisfacit. Non raro autem plures pro eadem stipulatione sunt fidejussores; et tunc præter laudatum contractum cum creditore, alium inter se inire possunt, quo conveniant, utrum pro æquali rata teneantur principali debitore non solvente, an vero singuli in solidum, ita ut si unus a creditore ad integram solutionem cogatur, iste jus habeat contra alios singulos actionem instituendi, ut vel partem sibi viritim rependant, vel in solidum ad normam secundi contractus. Creditor autem omnes in solidum obligatos respicit, nisi aliter in contractu secum inito expresse cautum fuerit, quia pluralitas fidejussorum in majorem securitatem creditoris ab hoc postulatur, quæ sane major securitas non haberetur, si unusquisque solum pro rata teneretur. Denique si soluto a fidejussore debito, principalis debitor potis deinde fiat ad solvendum, contra hunc eodem titulo agit fidejussor, quo creditor.

§. 321. Hactenus dicta locum habent, si quis gratis aliquid præstare, aut dare alteri velit, et possit. Si quis vero aut nolit, aut non possit, naturale officium res et operas mutuo communicandi procul dubio implet onus imponendo rem aut operam suam postulanti, ut sibi vicissim rem aut operam præstet. Hinc porro permutatio exordium habuit, contractus

omnium simplicissimus, et vetustissimus; imo cæterorum, qui onerosi dicuntur, fundamentum: omnes enim contractus onerosi nil aliud sunt, nisi permutationes, ut ex infra dicendis patebit. Jam vero ad permutationis validitatem, et honestatem ea omnia requiruntur, et sufficiunt, quæ requiri, et sufficere diximus ad validitatem, et honestatem pactorum in genere. Non est ergo necesse, ut hic ulterius immoremur, sed satius erit perscrutari, quomodo a simplici rerum aut operarum permutatione, homines ad alios onerosos contractus gradum fecerint. Ubi paucorum hominum est societas, facile unusquisque simplici rerum aut operarum permutatione suis necessitatibus providere potest. At in magna societate nimis molestum foret, eum singulis vicibus quærere et invenire, qui rebus illis abundet, quibus ego indigeo, et mecum potius, quam cum alio, et cum isto potius, quam cum alio genere velit suas res permutare. Aucto igitur hominum numero sapienter inventa est pecunia communis mensura pretiorum, et merces omnes repræsentans, quæ idcirco ex materia valde solida et durabili conflatur, ne contrectatione atteratur, et potissimum ex iis metallis, quorum non multus in humana vita est usus, ut exiguæ quantitati possit ingens pretium assignari. Certum etiam pondus cuilibet pecuniæ speciei tribuitur, ne cum damno alterutrius contrahentis adulterinus fiat.

§. 322. Ex hoc factum est, ut inter contractus maxime communis evaserit emptio,venditio, qua quis pro determinata mutuo consensu pecuniæ quantitate, transfert rei suæ dominium in alterum contrahentem (1). Donec igitur a secundo pecunia numerata non fuerit, primus (excepta peculiari conventione) rem suam tradere non tenetur. Quod si res tradita fuerit, et pecunia minime numerata, emptor (nisi aliter conventum sit) tenetur venditori compensare lucrum cessans, cujus ipse est causa moralis. Si neque res neque pecunia tradita sit, et emptor elapso solutionis tempore moras nectat, jus habet venditor eamdem rem alteri vendendi, non tamen si vicissim pecunia numerata sit, et res non tradita, quia traditio naturaliter necessaria non est (§. 286.) ad translationem dominii. Quando res vendita tradita non est ex culpabili venditoris mora, si pereat vel corrumpatur, integrum damnum venditor sentiat, si traditioni moram culpabilem dedit emptor, hujus erit integrum damnum; si uterque, ambo pro æquali rata damnum patiantur juxta imputationis principia (*Vid. Lib.I.Cap.VI.*). observandum etiam est, plures dari res utillimas, quibus nullum invenitur impositum pretium, vel quia domino carent, ut aer, aqua profluens, umbra etc., vel quia tanquam alterius rei appendices considerantur, ut quædam commoda ex re vendita procedentia, quæ cum

ipsa re empta censentur (sic emptor domus potestatem etiam emisse videtur cernendi spectacula, quæ in arena proxima fiunt), vel tandem quia sepositæ sunt ab humanis commerciis, ut res sacræ et actiones, quas leges divinæ aut humanæ vel omnino vetant, vel gratis exerceri præcipiunt. Nec prætereundum ad contractum emptionis venditionis reduci censum consignativum realem, quo quis pro certa pecuniæ quantitate jus emit annuam pensionem ex alterius re fructifera percipiendi, donec vel res pereat, vel eadem pecuniæ quantitas restituatur.

(1) Paulus Jurisconsultus de contractu emptionis ait:« origo emendi vendendique a permutationibus cœpit. Olim enim non ita erat nummus neque aliud merx, aliud pretium, sed unusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit, ut quod alteri superest, alteri desit, sed quia non semper et facile conveniebat, ut cum tu haberes quod ego desiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia est, cujus publica ac perpetua æstimatio difficultatibus per mutuam æqualitatem quantitatis subveniret : eaque materia forma publica percussa usum dominiumque non tam ex substantia præbet, quam ex quantitate, nec ultra merx utrumque sed alterum pretium vocatur ». Et Petrus Verri in suo tractatu *dell' Economia Politica*, inquit: « Il danaro è la merce universale, cioè quella merce, che per l'universale sua accettazione, per il poco volume, che ne rende facile il trasporto, per la comoda divisibilità, e per l'incorruttibilità sua è universalmente ricevuta in iscambio di ogni merce particolare.

§. 323. Locatio - conductio est contractus onerosus, quo quis pro certa pecuniæ quantitate rei suæ usum alteri concedit. Cum ergo rei dominium non transferatur, locatarius re uti debet, juxta expressam vel rationabiliter præsumptam locantis Domini voluntatem, ideoque nec illam jure vendere poterit, nec donare, nec oppignorare, nec alteri locare, nisi permissum id fuerit in contractu. Inde sequitur etiam, rem locatam non esse a conductore deteriorandam, nisi quantum rationabilis illius usus concessus postulat, et si plus deterioretur, damnum domino sarciendum. Impensas necessarias, ut res locata usui concesso idonea perseveret, ferre debet locans, quia dominus est, et vicissim jure poterit locatarius conventum pretium denegare, imo contractum rescindere, si locans renuat corruptam rem instaurare, quamvis corruptio ex casu fortuito evenerit: iniquum enim esset, quod locatarius damnum sentiret præstandi conventam pecuniam quin a se intentam utilitatem consequatur, nisi ex contractus conditionibus appareat, ipsum in se casum suscipere voluisse. De Locatione-conductione operarum infra.

324. Societas, quæ negotiationis gratia instituitur, et de qua solum nunc loquimur, est: « contractus onerosus, quo duo vel plures in commune suas res aut operas conferunt, ut exinde lucrum aut damnum communicetur ».

Ad hujus contractus validitatem, et honestatem necesse non est, quod socii æqualem partem conferant, nec quod unusquisque indiscriminatim aut rem aut operam pretio æstimabilem conferre possit, nec quod opera unius idem pretium habeat ac opera alterius. Sed hoc est omnino necessarium, quod lucrum aut damnum dividantur secundum proportionem geometricam; ita ut si ego contulerim 30. vel in re, vel in opera tanti æstimata, et alter 10. lucrum vero aut damnum fuerit 300. in meam utilitatem aut damnum cedant 225. et alterutrius 75. Nam 30 : 225 = 10 : 75. Contractus ergo, qui apud aliquos humanitatis oblitos frequens est, ut vel ex una parte sors in tuto ponatur, vel ut opera tanquam sors non reputetur, ideoque proportionatis fructibus fraudetur, est contractus Leoninus et injustus: nil enim justitiæ magis adversatur, quam fraudari fructu rei suæ, qualis est opera. Advertendum denique, alium esse societatis contractum, in quo socii fortunas omnes præsentes et futuras in commune conferunt, ut in communi possideantur, iisque omnes et singuli in communi fruantur. In hac societate cum omnia lucra cujuslibet socii fiant societatis, etiam damna, quæ socius absque sua culpa patitur, societas in se ferre tenetur.

325. Contractus innominati juxta generales pactorum regulas diriguntur. Restat ergo

ut pauca dicamus de contractibus aleatoriis conventionem importantibus super incerto eventu, quo secuto, unus alteri præstare debet, quod conventum fuerit. Hujusmodi contractus publice, et privatim passim adhibentur: imo aliquando sine iis negocia, vel nullum, vel difficilem exitum haberent. Sic quando plures ad publicum officium concurrunt meritis prorsus æquales, ad invidiam, et repulsæ notam tollendam optimum erit electionem sorti committere, quæ tametsi adversa steterit, nil derogat petitoris dignitati. Idipsum prudenti consilio frequentatur, quoties facienda est divisio bonorum partitionem non admittentium, sicut etiam quoties non expedit omnes reos condigno supplicio afficere: quo in casu sors aliquos vel damnat, vel absolvit. At vero quando quæritur, num actio aliqua commissa fuerit nec ne, num honesta vel turpis, num utilis, vel perniciosa, ridiculum est sortis judicio uti: quem tamen morem barbaræ nationes ad nos olim attulerunt, ut experimenta ignis, candentis ferri, ebullientis aquæ, etc., et singularia certamina olim ad hujusmodi quæstiones dirimendas adhibita testantur, quasi sors efficere posset, ut aliquid gestum evadat non gestum, vel ut actio inhonesta aut perniciosa, honesta aut utilis fiat.

§. 326. Ad hoc genus contractuum pertinet assecuratio, seu contractus, quo quis rei

alienæ periculum in se suscipit, se vel gratis, vel pro certa mercede obligando ad illius pretium solvendum si perierit. Ut autem assecuratio mercenaria sit justitiæ conformis requiritur primo, quod periculum immineat saltem probabiliter, vel ab utroque judicetur imminere, ita ut rei eventus utrique sit incertus, et secundo quod merces proportionata sit periculo, et valori rei assecuratæ.

§. 327. Quid vero dicendum de censu vitalitio, seu contractu, quo jus emitur annuam pensionem ab alio exigendi quamdiu vel hujus vel emptoris, vel tertii cujusdam naturalis vita durabit. Hic etiam contractus justus erit, dummodo annua pensio pro quolibet sortis centenario a census venditores solvenda sit proportionata ætati, valetudini, cæterisque physicis circumstantiis personæ, in cujus caput census imponitur, et sors nullo unquam tempore repeti possit.

§. 328. Sequitur lotharia, seu contractus, quo plures de re ab iisdem empta pecunia collectitia postea sorte decernere debent, cui soli ea cedenda sit. Hujus contractus lex est, quod tota summa pecuniæ collectitiæ adæquet, non superet mercis valorem una cum impensis ad ludum necessariis, et sortientes nedum æqualem ratam solvant, sed etiam æqualiter lucri spei, et amissionis periculo subsint. Huic affinis est contractus vulgo dictus *olla*

fortunæ, vi cujus in una urna ludentium nomina, seu numeri ab iis empti, et in alia præmiorum nomina ponuntur: postea vero ad cujusque ludentium voluntatem, ex utraque urna numerus extrahitur, et cuique assignatum præmium conceditur, si numerus, seu schedula secundæ urnæ sit ex illis quibus præmium præfixum est: nam sæpe multæ schedulæ nullum præseferunt præmium.

§. 329. Denique ad contractus aleatorios referuntur ludi omnes, et sponsiones, vulgo *scommesse*. Ludus enim quilibet est contractus, quo ludentes inter se saltem implicite paciscuntur, ut victori cedat id quod exposuerunt. Sponsio vero est contractus, quo duo vel plures de rei alicujus veritate aut eventu contendentes, aliquid sibi mutuo spondent, ut sit ejus, qui veritatem fuerit assecutus. Porro ut sponsiones validæ sint et honestæ requiritur: 1., ut res de qua agitur, ab omnibus spondentibus eodem sensu accipiatur: secus enim non esset omnium in idem placitum consensus, ideoque nec pactum; 2. ut res, de qua agitur, sit omnibus contendentibus incerta: secus enim non esset in omnibus spei et periculi æqualitas. Ludi autem cum sint pacta conditionata, tunc solummodo justi dici poterunt, ac debebunt, quando iis adamussim generalia pactorum requisita observentur. Quare ludere cum parvulo, cum ludi ignaro, de re-

bus alienis, de impossibilibus vel moraliter, vel physice, de quantitate non correspondente periculo, et spei alterutrius partis injustum est, ideoque cum in ludo, qui vulgo dicitur *basset-ta*, et in illo, qui vulgo dicitur *piripìsso* majores probabilitatis gradus vincendi habeat, qui chartas lusorias, vel urnam agitat, quam alii cum quibus ludit, hi ludi, aliique similes injusti omnino sunt, ideoque pecunia illis acquisita restituenda. Quoad ludorum honestatem hæc vel externa est, et decentia nuncupatur, vel interna, scilicet actionis convenientia cum regula morum. Jam vero quis non videt, ludos non omni tempore decere, nec omnes personas, nec omne ludorum genus unicuique convenire? Quis item non sentit ludum, cujus honestus finis est animi corporisque a labore relaxatio, vitio non carere, si multum temporis absumat, si gravis pecuniæ quantitas sorti committatur; si ludentis animus exardescat, si denique officia vel erga Deum, vel erga nos, vel erga alios homines ludo indulgendi causa omittantur?

CAPUT XII.

De Injuriarum sive læsionum Reparatione.

§. 330. Frustra natura jus perfectum hominibus concessisset (§. 262.) congruam pro injuriis acceptis satisfactionem, et damnorum compensationem exigendi, nisi is, qui alteri damnum injustum vel personalem injuriam irrogavit, perfecta satisfaciendi et compensandi obligatione foret obstrictus. Postquam ergo cætera tum absoluta, cum hypothetica naturalia hominis- officia perfecta erga alios universim exhibenda enumeravimus, recta methodus postulare videtur, ut generales quasdam regulas in damnorum compensatione, et injuriarum sarcitione servandas indicemus, quas ex dictis (*Lib. I. Cap. VI.*) de imputatione eruendas arbitramur.

§. 331. In primis itaque ubi quis fuerit causa moralis alicujus facinoris, unde alteri damnum obvenerit, et hujusmodi damnum sit aliqua lege prohibitum, et læsus libere in damnum non consenserit, aut consentire moraliter non potuerit, seu non debuerit, ac denique inter actionem, et effectus læsivos talis fuerit connexio, quam agens advertere potuerit, ac debuerit, damni compensatio omnino facienda; secus vero si aliqua desit ex hisce

circumstantiis, quarum defectus sicut actualem tollit imputationem, ita etiam tollit compensandi obligationem.

§. 332. Secundo si plures moraliter concurrerint ad actum, ex quo alter damnum injustum passus est, idem in præstanda compensatione ordo servabitur, quem servandum esse diximus in statuenda imputationis quantitate, ita ut proinde ante omnes ad compensationem teneatur causa principalis; secundo loco executor vel executores, idest causæ collaterales; 3. causæ subalternæ positivæ; 4. demum causæ subalternæ negativæ. Ubi notandum, quod si agatur de damno in bonis fortunæ illato, hoc a causa principali compensato, ad nihil ultra teneantur cæteræ causæ morales, dum contra omnes et singulæ tenentur in principalis, aliarumque priorem obligationem habentium defectum; sicut etiam advertendum, eum qui ex injusto alterius damno oommodum sive bona, sive mala fide percepit, pro ratione percepti commodi ante ipsam causam principalem compensationis oneri obstrictum esse. Hic enim, ut liquet, rem alienam vel in se, vel in æquivalenti possidet, quam proinde sine injuria retinere non potest.

§. 333. Quod si plures injusto alterius damno cooperantes sint in eadem causarum classe, tenebitur ne quisque ad compensationem in solidum, an dumtaxat pro rata? Di-

stinguendum hic arbitror inter actus dividuos, et individuos, atque insuper examinandum, num agentes licet physice idem non egerint, idem tamen intenderint, vel non. Actus porro dicitur individuus, quoties etsi multi ad illum concurrant, unius tamen opera suffecisset ad eundem producendum, ut si tres pulveri pyrio ignem admoveant: dicitur vero dividuus, quoties effectus ab uno productus vel quantitate vel qualitate differt ab illo quem alter produxit, ut si unus hominem funibus constringat, alter cultro perfodiat, quod utique fieri potest, sive agentes idem intendant, sive non, sed unus velit dumtaxat hominem ligare nullam habens suspicionem, quod alter occidere cogitet hominem ligatum et inermem. Jam vero in hoc tertio casu dumtaxat prior agens dummodo pro viribus obstiterit, ne ulterius ab eo, quod ipse intendebat, damnum inferatur, non obligatur in solidum ad totius damni compensationem, quia non est totius damni caussa moralis. Obligatur autem in solidum ad compensationem damni, seu injuriæ a se intentæ. Quod vero in reliquis casibus omnes in solidum teneantur ad integrum damnum compensandum, sponte fluit ex nostris de imputatione principiis.

§. 334. Denique tot sunt compensationum fontes, quot læsionum capita. Aliquem in intellectu læsisti, vel potione insaniam producente, vel falsis doctrinis? In primo casu

damnum repara, tuis rebus compensando, quæ ille sana mente præditus acquirebat, et satage tuis impensis, ut si fieri possit rationis usum ille recuperet. In secundo vero falsas doctrinas ab illius mente pro viribus expelle, et damna omnia compensa, quæ ille forte passus est ex falsis doctrinis. Mendaciis proximi famam infirmasti? Retractes publice oportet quæ dixisti, si scias illa in vulgus exisse, secus privatim, et insuper compenses damna, quæ ipsi ex imminuta fama obvenerunt. Res alienas abstulisti? Redde cum naturali earum incremento, et pretio damni ex furto secuti: quod si res furtiva tibi perierit, summum ejusdem pretium solve: non enim in raptoris gratiam res suas dominus minoris vendere tenetur. Virginem aut honestam viduam dolo violasti? Tantum dotis repende, quantum virginis vel honestæ viduæ conditio postulat, ut æquales ac antea nuptias contrahat, vel eam uxorem ducito: non enim aliter juxta communem existimationem potest amissæ virginitatis, aut vidualis castitatis damnum compensari. Hominem injuste occidisti, aut vulnerasti? Vel ipsi, vel hæredibus integras præstabis expensas pro ejusdem curatione, atque insuper tantum, quantum judicio prudentum valet spes lucri ab ipso licite percipiendi si occisus, aut vulneratus non fuisset habita ratione valetudinis, roboris, ætatis, artificii, peritiæ, status, modi

vivendi, et lucrandi deductis expensis, et iis quæ vivens, aut non vulneratus consumpsisset. Pro injuria denique personali non alia ex officio naturali concipi potest satisfactio, quam veniam petere, et sinceras doloris, ac pœnitentiæ prodere significationes.

CAPUT XIII.

De Societate Conjugali, et Officiis inde fluentibus.

§. 335. Brevi quævis inter homines destrueretur societas, nisi capita, quæ per mortem quotidie obtruncantur generatione repararentur. Fundamentum ergo, et vinculum integræ humanæ societatis est societas conjugalis, quæ merito definitur: « societas maris et fœminæ sobolis procreandæ, atque educandæ caussa inita ». Procreandæ, inquam, atque educandæ, quia parum prodesset humano generi filiorum procreatio sine illorum physica, et morali educatione. Unde liquet duos esse potissimos matrimonii, seu societatis conjugalis fines, prolis nempe generationem, atque educationem, quibus adde mutuum conjugum adjutorium, et in statu naturæ lapsæ remedium concupiscentiæ.

§. 336. Ex tradita porro definitione sequitur: 1., eos qui actus ex se ad prolis gene-

rationem idoneos exercere, vel prolem educare omnino non possunt, invalide prorsus etiam præscindendo a quavis lege positiva matrimonium contrahere. Naturaliter ergo a nuptiis arcentur perpetuo amentes, seu rationis usu penitus destituti, nedum quia libere in societatem conjugalem consentire nequeunt, sed etiam quia ad prolem educandam sunt omnino inhabiles; multoque magis evirati, pueri ante pubertatem, et insanabili impotentiæ morbo laborantes, quia nullatenus exercere possunt actus ex se ad prolis generationem idoneos. (1. 2. 3. 4. et 5.) Quid vero sentiendum de nuptiis quæ interdum a sterilibus, vel a sene decrepito, et ab effœta vetula contrahuntur? Dummodo hujusmodi personæ rationis usum habeant, et actus ex se ad prolis generationem idoneos exercere possint, nuptiæ istæ naturaliter validæ procul dubio dici debent, quia eo ipso capacitatem habent utrumque potissimum conjugale munus exequendi, quamvis per accidens attenta sterilitate, vel ætate provecta probabilem spem non habeant prolem revera generandi, et educandi.

(1) Ærmaphroditi, idest de utroque sexu participantes, valide et licite in sexu prævalente matrimonium iuire possunt, imo etiam saltem valide in sexu debiliori si in eo perfectam copulam possint exercere. Androgyni autem, idest utroque sexu æqualiter valentes licite possunt velut virum, velut fœminam nuptias contrahere: jure tamen Ecclesiastico alteri sexui coram judice Ec-

clesiastico debent perpetuo ac jurato renunciare. Quid vero dicendum si duo Androgyni matrimonium inter se contrahere vellent? Respondet Perez *Disput.* 37. *Quæst.* 15. « nec valide, nec licite illos posse matrimonium inter se contrahere, quia esset contractus virtualis polygamiæ simultaneæ : nam pateret usus promiscuus utriusque sexus, a quo natura, tanquam a re detestabili abhorret ».

(2) Mulier, quæ post matrimonium bona fide initum adeo arcta deprehenditur, ut sine incisione perfectam cum viro suo copulam habere nequeat, ex officio naturali tenetur ad incisionem vitæ non periculosam subeundam, quamvis magno dolori, et molestissimo morbo conjunctam. Eo ipso enim, quod contractum iniit suum corpus tradendi ad prolis generationem, tenetur (præsertim si vir ob gravia motiva prolem optet) huic honesto scopo idoneam se reddere per media quævis etiam molesta dummodo mortem non allatura.

(3) Error in materia matrimonii esse potest vel circa personam, ut contigit Jacob, qui putans se contrahere cum Rachele, contraxit cum Lia illius loco supposita *Gen.* 19., vel circa conditionem, ut si quis contrahat cum serva, quam liberam putat, vel denique circa qualitates personæ, ut si quis putet se contrahere cum pulchra, diviti, nobili, quæ tamen deformis est, pauper, ignobilis. Jam vero solus error circa personam naturaliter irritat matrimonium, quia, ut ait Divus Thomas *Supplem.* 3. *part. Quæst.* 31. *Artic.* 1. est error in eo, quod est substantia, et materia contractus: nam matrimonium non solum est contractus inter personas, sed de ipsis personis, quæ se invicem sibi mutuo tradunt. Error autem circa conditionem vel alias qualitates naturaliter non irritat matrimonium, quamvis ex dolo, vel simulatione alterius contractum, quia relinquit consensum absolutum in personam, seu objectum directum contractus conjugalis. Excipe tamen 1. si error qualitatis redundet in personam nempe versetur circa talem ignotæ personæ qualitatem, quæ sit omnino singularis certum individuum denotans, ut si quis præcise primogenitam ducere velit, eique obtrudatur secundo genita.

Excipe 2. si qualitas illa explicite, vel implicite ita sit a contrahente intenta, ut sine illa nolit contrahere, quod fieret, si quis interne cogitaret, aut externe diceret; si es nobilis, dives, etc. volo te ducere, et duco, secus nolo, et non duco: hoc enim in casu cum consensus sit conditionatus, et pendens a conditione sine qua non, deficiente conditione, deficit quoque consensus. Nisi autem exterius manifestatæ sint hujusmodi exceptiones debet postea interior absolutus consensus præstari ad injustam compartis deceptionem tollendam.

(4) Matrimonium ex metu gravi injuste incusso ad extorquendum consensum initum naturaliter validum est, rescindibile tamen ante consumationem ad nutum illius, qui ex metu contraxit. Ob summam vero æquitatis rationem jure Ecclesiastico statutum est, ut hujusmodi matrimonium ab initio sit invalidum.

(5) Matrimonium contractum sub conditione de debito petito non reddendo, de generatione impedienda, prole occidenda, adulterando, et similibus faciendis, quod matrimonium, aut ejus finem destruunt, est naturaliter invalidum, quia est sub conditione ipsi repugnante; validum vero sub conditione honesta, ut de castitate ab utroque servanda, aut statu religioso assumendo, vel etiam sub conditione turpi de furando, pejerando, vel aliis inique faciendis quæ matrimonium, aut ejus finem non destruunt, quia non est sub conditione ipsi repugnante. Vide Sanchez *de Nat. Lib.* 3. *Disput.* 40. 41. *et Lib.* 2. *Disput.* 31. *et seq.*

§. 337. Sequitur 2., unumquemque conjugum alteri conjugi petenti copiam facere debere corporis sui ad actus generationi necessarios, nisi aliqua rationabilis causa ex. gr. infirmitas obstet. Hic autem animadvertere præstat, quod nuptias, non concubitus, sed consensus facit: consensus inquam saltem virtualis, et

implicitùs ad omnes præstandas obligationes conjugali societati adnexas, proindeque ad actus etiam (si alteruter petat) ex se ad prolis generationem idoneos. Hinc Augustinus *Lib.* 2. *de consensu Evangelistarum Cap.*1. ait: « Neque enim fas erat, ut ob hoc cum (Joseph) a conjugio Mariæ separandum putaret, quod non ex ejus concubitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus conjugatis permanere, vocarique conjugium non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.

§. 338. Sequitur 3., conjuges una simul cohabitare debere, mutuo et sincero amore se prosequi, sibi invicem compati, et subvenire, communique cura et consilio rem familiarem administrare, ita tamen ut priores partes vir obtineat, qui ob sexus præstantiam caput est mulieris, ejusque proinde actiones dirigendi, jus habet (1).

(1) Spectato jure naturæ, inquit Ignatius Schwarz, etiam abstrahendo a statu naturæ lapsæ inter conjuges non est perfecta æqualitas, sed vi status conjugalis per se loquendo (uxori enim per accidens superioritas et imperium vindicari potest, ut si maritus sit hebes, uxor Heroina; ille subditus, hæc Princeps) aliqua competit potestas, et superioritas saltem directiva. Directiva, inquam, vi cujus mulier viro subordinata sit non vi coactiva, et voluntate repugnante, sed honestate impellente; quæ subordinatio post peccatum abiit in pœnam dum etiam reluctans, et invita parere cogitur. Ratio assertionis est: 1., quia natura rationabilis videtur exigere,

ut præstantior, firmior, fortiorque sexus sequiori infirmiori, et imbecilliori præsit; secundo quia teste Apostolo 1. *Chorint.* 11. etiam abstrahendo a lapsu vir tanquam perfectius individuum caput est mulieris cum vir creatus non sit propter mulierem, sed mulier propter virum; 3. quia spectato solo naturæ statu et abstrahendo ab originali justitia, inter omnino æquales difficilis, imo fere impossibilis fuisset in necessaria cohabitatione longa concordia propter dispares genios, adversa ingenia, temperamenta rarissime attemperata et muliebris sexus nativam imbecillitatem, adeo ut quædam uxoris subordinatio, qua maritus, tanquam caput familiæ perfectiori intellectu ab Auctore naturæ donatus uxorem dirigeret ad bonum commune, et amorem conjugali statui finique congruum videatur simpliciter necessaria, ideoque naturaliter debita. Hinc Chrysostomus in *cit. Apostoli locum* ait: « merito fœmina viro subjicitur, nam æqualitas honoris pugnam parit »; quæ ratio valet etiam pro statu naturæ puræ; 4. quia teste Ruperto *Lib.* 3. *de Oper. Trin. Cap.* 21. Apud gentiles quoque, qui scripturam de mulieris subjectione non legerant, vel hujus veri domini præcepta non observabant, hæc lex naturaliter valuit, quam Dominus naturæ imposuit dicens mulieri « sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui ». Quædam tamen barbaræ nationes sicut cætera ita hunc naturæ ordinem confuderunt, ut mulier sine capite, idest sine viro super viros ageret potestatem, et imperium. Sic Diodorus *Lib.* 1. *Cap.* 27. refert, apud Aegyptios in Isidis honorem receptum esse, ut plus potestatis, et honoris sit penes Reginam, quam penes Regem, et in tabulis dotalibus inter privatos impium fœminæ in virum assignetur, ubi uxoribus per omnia se obtemperaturos profitentur. Huc etiam referri potest matrimonium Amazonicum, de quo Diodorus *Lib.* 2. *Cap.* 45.: « verumtamen non tam jus, aut lex, quam usurpatio dicenda est ». Nec dicas mulierem ab Auctore naturæ creatam esse in adjutorium viri tanquam sociam et specialem amicam sine subjectionis imperfectione, quæ nonnisi in pœnam statuta legitur: unde scripsit Augustinus *in Gen.* 3. *Ver.* 162. «Uxor maritum habere meruit Dominum non natura, sed culpa ». Nam officium adjutorii,

societatis, et amicitiæ non excludit omnem superioritatem, et potestatem etiam directivam, nec uxoris directiva subordinatio respectu viri, et perfectioris individui dici potest positiva imperfectio, sicut talis dici nequit Angelorum subordinatio in Hierarchia Angelica. Imo cum nonnisi in mutuum status conjugalis bonum cederet, uxor sciens se non ancillam, sed sociam non voluntate repugnante, sed honesta vi impellente, naturæ officium implevisset juxta illud Plinii *in Panegyr. Trajani*: « uxori sufficit obsequii gloria ».

§. 339. Sequitur 4. utrique parenti a natura commendatam esse prolis educationem, ambosque proinde ad providendum teneri, ut filii habeant, quod necessarium est ad vitam servandam, viresque augendas, itemque ut eorum animi utilibus cognitionibus, et maxime virtutibus per domestica præcepta, et exempla imbuantur. Non ergo naturam ducem sequuntur matres illæ, quæ citra necessitatem alieno lacte nutriunt infantes, sicut etiam patres illi, qui sine rationabili causa filios suos aliis præbent informandos (1).

(1) Lampredi hac in re ait: « idem sanguis est in uberibus qui in utero fuit, quique mirabilis solertis naturæ artificio in supernas se profert partes, et ad favenda vitæ rudimenta præsto est, et recens natis notum et familiarem victum præbet. Naturæ ergo vocibus aures occludunt, et maternum exuunt amorem impurissimæ fœminæ, quæ fontem illum sanctissimum humani generis educatorem arefacere, et extinguere non sine periculo aversi corructique lactis laborant, velut si mammarum ubera, ut Gellius ait: *Noct. Attic. Lib.* 1. *Cap.* 12. quasi quosdam nævulos venustiores non liberorum alendorum sed ornandi pectoris gratia natura fœminis dedisset.

§. 340. At quomodo quis amare (proindeque convenienter educare) liberos tanquam suos poterit, cum suos esse aut ignoret, aut dubitet? Ita rectissime Lactantius *Divin. Instit. Lib.* 3. *Cap.* 20. « Mulier ergo conjugata intemeratam viro suo fidem servare debet, et nullo prorsus in casu copiam corporis sui alteri facere: non enim haberi posset prolis certitudo, ideoque et conveniens educatio, si mulier furtivis amoribus operam daret. Sed in quovis contractu æqualitas postulatur: iniqua autem esset sors mulieris, si quod sibi non licet, marito liceret. Et isti ergo nefas mulierem extraneam cognoscere, quamvis fateri cogamur, minus naturalibus officiis adversari conjugalis fidei violationem in viro, quam in muliere, quia mulier adultera nedum infidelis est sicut vir adulter, sed insuper vel virum cogit ad suppositítiam prolem alendam et educandam, vel prolem ipsam periculo exponit debita educatione carendi. Nec mutua isthæc conjugum obligatio conjugalem castitatem servandi mutuo utriusque partis consensu solvitur, quia de ratione societatis conjugalis est, quod obligatio ista subsistat. Unde merito ab Innocentio XI. damnata fuit hæc propositio: « Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium ». Et contra naturam præscripsisse videtur Licurgus, qui lege lata permisit, ut cives interdum proprias uxores alteri mutuas da-

rent, vel ut ipsi e strenuo et virtute prædito viro filios in potestate haberent, vel ut alter ex ingenua et præstantissima fœmina filium sibi compararet: sic enim aut paterna, aut materna ope genita soboles fere omnino destitueretur (1).

(1) Talis consensus etsi non cedat in injuriam mariti, qui talis, et ut personæ privatæ, cedit tamen in injuriam mariti, qua talis, seu qua obligati in bonum prolis; cedit item in injuriam prolis ob præjudicium generationis et educationis: cedit denique in injuriam status conjugalis ob bonum publicum societatis humanæ ordinati, vi cujus tale jus renuntiabile non est. Naturæ igitur jure talis consensus irritus, et nullus est, utpote contrarius amori et conjugi, et proli in ordine ad matrimonii finem naturaliter debito, et ad humanæ societatis felicitatem indispensabiliter necessario.

Hinc patet: 1., illud axioma «scienti, et consentienti, non fit injuria», locum habere solum quando consensus est validus: consensus autem viri in casu nostro validus esse non potest, quia vir in uxorem jus habet, non quoad dominium absolutum, sed quoad usum licitum dumtaxat, ideoque simili juri, quod unusquisque habet in sua membra, quorum usum licitum habet non autem jus de iis absolute (ver. gr. abscindendo) sine rationabili causa disponere. Patet 2., copulam viri conjugati cum soluta etiam consentiente uxore esse adulterium, quia uxoris consensus contrarius statui conjugali, et bono societatis humanæ per matrimonii finem intento, ideoque de jure non renunciabili est nullus.

§. 341. Hactenus delibata naturalia conjugum officia. Principum Apostolorum præceptis omnino consentanea sunt. Paulus enim conjuges alloquens *I. Chorint. 7. V. 3. et seqq.*

hæc habet. « Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus ut vacetis orationi ». Petrus autem mulieribus quidem ait : « Mulieres subditæ sint viris suis, sicut Sara obediebat Abrahæ dominum eum vocans ». De viris autem sic loquitur : « Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem».

§. 342. Sed jam tempus esse videtur, ut inquiramus, num naturalia officia exigant, quod nonnisi inter unum marem et unam fœminam ineatur societas conjugalis, seu quod idem est, num sit officiis naturalibus conformis, nec ne Polygamia simultanea (1).

(1) Polygamiam successivam licitam omnino esse innuit Apostolus 2. *ad Timotheum* 5. *Ver.* 14. dicens : « volo juniores (viduas) nubere, filios procreare ».

§. 343. Ut hæc quæstio rite solvatur, duplex in primis distinguenda est Polygamia : una, quæ Polyandria etiam, seu Polyviria dicitur, qua plures viri uni fœminæ promiscue junguntur, vel una fœmina pluribus viris simul nubit : altera, qua unus vir plures simul habet uxores, et peculiari vocabulo Polyginia nuncupatur. Ad priorem referre possis uxorum

communionem a Platone commendatam *Lib.* 5. *de Repub.*, (1) ad posteriorem vero praxim, quam plures e veteribus Patriarchis secuti sunt (2), et nostris hisce temporibus sequuntur Mahumedani.

(1) Stoici cum Platone et Spartani cum Lycurgo, ac Solone uxorum communionem admiserunt, eamque sophis propriam judicarunt, quatenus hoc pacto omnes patrum instar æqua charitate sobolem amarent, et mulierum zelotypiam tollerent.

(2) Deus per Nathan 2. *Regum* 12. Davidi dixit: « Dedi tibi domum domini tui et uxores domini tui in sinu tuo; et si parva sunt ista adjiciam tibi multo majora». Immerito ergo Buddeus *Instit. Theolog. Moral. Par.* 2. *Artic.* 2. dicit « Deum in sanctis Veteris Testamenti non probasse, sed tolerasse polygamiam initam ex bono fine, et ex legis ignorantia ».

§. 344. Priorem porro naturalibus officiis omnino repugnare Protestantes una cum Catholicis aperte fatentur. Ex una enim parte naturalis Polyandriæ effectus est prolis relate ad patrem incertitudo, quæ viros ad illam rite educandam desides facit; ex alia vero parte experientia nos edocet, unius viri uxores longe fœcundiores esse, quam plurium; proindeque constat evidentissime, simultaneam Polyandriam duobus potissimis matrimonii finibus adversarii (1).

(1) Admissa Polyviria, ut advertit Divus Thomas *Politicor. Lect.* 3. contingere facile posset, ut filiæ cum patribus congrederentur; nesciretur enim cujusnam essent

soboles. Id autem ut infra videbimus est contra naturam. Insuper diviso plurium maritorum imperio, uxor nesciret, cui ex illis obedire deberet.

§. 345. Consentiunt item Catholici cum Protestantibus, Polyginiam simultaneam non repugnare naturalibus officiis primariis et absolutis, ideoque non habere semper inexpiabilem fœditatem, utpote quæ potissimos matrimonii fines, nec totaliter tollit, nec aliqualiter impedit, cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fœcundandis, filiisque ex iis natis educandis. At simul Catholici fere communiter contra Protestantes contendunt, eam repugnare officiis naturalibus secundariis, seu conditionatis, ita ut proinde solius Dei auctoritas illam possit cohonestare, qui solus potest efficere, ne sequantur mala ut plurimum ex illa per se derivantia, vel ut ex malis physicis ampliora bona proveniant. Et merito quidem. Est enim contra naturalia officia secundaria, seu conditionata quidquid ut plurimum hominibus, humanæque societati per se detrimentum affert. Jam vero simultaneam Polyginiam ut plurimum per se noxiam esse familiis, proindeque humanæ societati, patet consideranti: 1, quod plures mulieres uni viro nuptæ inflammantur libidine, quin possint expleri: unde facillime occasionem arripient adulteria perpetrandi; 2. quod conjugalis amor ita distractus in viro vel omnino languescit, vel

ad unam solummodo fertur; 3. demum, quod perpetuæ gravesque sint inter unius viri uxores zelotypiæ, rixæ, invidiæ, machinamenta, nec non simultates inter fratres et fratres, ita ut integra familia discordiis laceretur. Hujusmodi porro effectus impediri non possunt a diversis humani corporis, vel aeris temperamentis: nec enim ista possunt humanos affectus destruere. Nullum ergo dubium, quin polyginia simultanea sit contra naturalia officia secundaria, seu conditionata, et ideo, ut ait Divus Thomas in *Supplemento* 3. *partis*. *Quæst*. 65. *art*. 2. *in corp*. « In hoc a solo Deo fieri potuit dispensatio per inspirationem internam, quæ quidem principaliter Patribus SS. facta est eo tempore, quo oportebat, prædictum naturæ præceptum prætermitti, ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ (1).

(1) Paucitatem liberorum in familiis Turcarum non imprudenter adscribit Rigaltius *Lib*. 2. *Hist*. *Status præsentis Imperii Turcici Cap*. 21. Mulierum zelotypiæ, crebris intoxicationibus etc.

Observat etiam Lampredi, mares et fœminas inhumana specie pari fere numero in lucem edi: quod etiam monogamiam præferendam insinuat.

Insuper quædam animalia, in quibus ad prolis educationem requiritur maris et fœminæ sollicitudo, instinctu naturali servant conjunctionem unius ad unam, sicuti patet in turture, et columba. Cum ergo in specie humana utrique parenti cura prolis incumbat, naturale est, ut in specie humana unus vir uni uxori conjungatur. Vide Divum Thomam *Supplem*. 3. *partis*. *Quæst*. 65. *Articul*. 1. *ad* 4.

Non urgemus hic argumentum ex æqualitate pacti conjugalis, nec principium illud: « quod tibi non vis fieri alteri ne feceris », quia si conjux juri suo ex toto cedere potest religiosam professionem viro permittendo, cur non poterit cedere ex parte sine sui præjudicio permittendo concubinam, quam Rachel, et Lia Jacobo etiam obtrusere?

Mariti vigor, inquiunt nonnulli e Protestantibus, vel uxoris intollerabiles mores, vel hujus sterilitas, vel Reipublicæ salus non raro suadere videntur, ut Polyginia simultanea monogamiæ præferatur. At actionum honestatem ex mariti vigore ii solum pensare possunt, qui sint bestiis pejores. Cæteri vero casus extraordinarii omnino sunt, et per accidens, respectu matrimonii. Quod autem est per accidens non tollit id quod est per se ob universale bonum; ideoque nec in iis sine *Dei dispensatione* licere potest Polyginia. Cum enim, ut ait Divus Thomas *Supplem.* 3. *Partis. Quæst.* 65. *artic.* 2. « Non sit facile determinare hujusmodi varietates, ideo illi ex cujus auctoritate lex efficaciam habet, reservatur, ut licentiam præbeat legem prætermittendi in illis casibus, ad quos legis efficacia non extendere se debet. Et talis licentia dispensatio dicitur. Lex autem de unitate uxoris non est humanitus, sed divinitus instituta, nec unquam verbo, aut literis tradita, sed cordi impressa sicut et alia, quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent. Et ideo in hoc a solo Deo dispensatio fieri potest ». Insuper nonne, ut advertit Heineccius, etiam secunda, tertia, quarta, etc. uxores pervicaces, obstinatæ, steriles esse possunt?

§. 346. Idipsum dicendum de validi, et consumati matrimonii solubilitate: « Matrimonium enim (ut egregie observat D. Thomas *Supplem.* 3. *Partis. Quæst.* 67. *artic.* 1. *in corpore*) ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis non ad aliquod tempus, sed (si opus sit) per totam vitam prolis ». Unde de

lege naturæ est, quod parentes filiis thesaurizent (2. *Chor.* 12.) et filii parentum hæredes sint. Et ideo cum proles sit commune bonum viri et uxoris, oportet, eorum societatem perpetuo permanere indivisam. His accedit, quod posita etiam temporanea prolis educandæ obligatione, cum quo tempore conjuges huic muneri operam navare debent, mutuam in sua invicem corpora potestatem habeant, alios profecto filios gignere possunt, quos non secus ac priores educare tenentur, et sic deinceps.

§. 347. Nec est, quod quis regerat, matrimonium contrahi posse a sterilibus, in quibus ratio ab educandæ prolis obligatione petita locum non habet. Hoc enim (sicut etiam conjugalis copulæ omissio per integrum tempus filiis jam susceptis educandis necessarium) relate ad conjugium per accidens se habet: rectitudo autem naturalis, ut egregie observat D. Thomas *Lib.* 3. *contra Gent. Cap.* 122. « In humanis actibus non est secundum ea, quæ per accidens contingunt, sed secundum ea, quæ totam speciem consequuntur. Imo in legibus etiam humanis si legislator ad nonnulla incommoda præcavenda aliquid generaliter prohibeat, tametsi præsumptio quibusdam in casibus sit falsa, nihilominus in illis etiam lex obligat, quia nimirum fundamentalis legis ratio subsistit ».

§. 348. Multo minus autem solubile dici potest matrimonium ob violata ab alterutro essentialia conjugalis pacti capita, seu ut Puffendorfius loquitur *Jur. Nat. et Gent. Lib.* 6. *Cap.* 1. §. 21. « Ob malitiosam alterius desertionem, vel pertinacem et ultroneam debiti conjugalis denegationem . . . Et si uxor ultro copiam corporis sui alteri faciat ». Quis enim non videt, hac admissa sententia, conjugi, qui actualis jugi ferendi est impatiens, gravissimam præberi occasionem essentialia conjugalis pacti capita violandi, ut ab alio conjuge repudietur. Hoc autem, ut liquet, in maximum humanæ societatis detrimentum redundaret.

§. 349. Quovis ergo in casu matrimonialis vinculi solubilitas non minus quam simultanea Polyginia naturalibus officiis conditionatis adversatur (1). Conditionatis, inquam, non enim inficiamur, divina interposita auctoritate posse dissolvi, prout de facto dissolvi, si conjux infidelis renuit cum conjuge ad fidem converso pacifice habitare, hoc est, ut post Divum Thomam Theologi explicant, sine contumelia Creatoris, et subversionis periculo, et conversus alias nuptias ineat, Apostolus testatur *I. Chor.* 7. *V.* 15. dicens : « si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subjectus est frater aut soror hujusmodi ; in pace autem vocavit nos Deus ».

(1) Spectato jure divino status conjugalis a mundi exordio pactum, seu vinculum perpetuum et indissolubile respectu omnium hominum procul dubio importavit. Nam *Gen.* 2. dicitur : « Relinquet homo etc. ». Et *Matth.* 19. « Ab initio non fuit sic : Quod Deus conjunxit, homo non separet ». Unde Tridentinum *Sess.* 24. *de Matrim.* « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens Divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit : hoc nunc os ex ossibus meis ». Propter duritiam cordis Moyses permisit judæis dimittere uxores, illos non a reatu culpæ eximens, sed a punitione ad majus malum vitandum, scilicet uxoricidium. Ita docet Divus Thomas 3. *part. Quæst.* 61. *artic.* 3. ubi enumeratis tribus modis, quibus aliquid permitti dicitur subdit : « tertius est per privationem punitionis, et sic libellus repudii in lege permissus fuit propter majus malum cohibendum, scilicet uxoricidium ». Et hæc fuit sententia Tertulliani, Origenis, Hieronymi, Bedæ, Eutymii, et magistri sententiarum. Cæterum præfatus Divus Thomas videtur Judæos Moysis permissione utentes etiam a culpa excusare. Ait enim in *Cap.* 19. *Matth.* « Licet repudium inordinatum quid esset, noluit tamen Dominus, quod Judæis imputaretur ad culpam »; et *Cit. Q.* 67. *artic.* 3. *ad* 4. « quamvis duritia cordis non excusaret a peccato, tamen permissio ex duritia facta excusabat », quædam enim prohibentur infirmis corporaliter, nec tamen infirmi peccant permissione sibi facta utentes.

Christus *Matth.* 19. hanc permissionem abrogavit, et matrimonium pristinæ indissolubilitati restituit dicens : « Ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses dimittere uxores vestras : ab initio autem non fuit sic. Quod Deus conjunxit homo non separet ».

Hinc Paulus 1. *Chorint.* 7. *V.* 10. ait : « iis qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere inuptam, aut viro suo reconciliari, et vir uxorem non dimittat ».

De Felici, quamvis nonnullis in casibus divortia quoad vinculum probet, illa tamen generatim damnat dicens. « Il Matrimonio è una società contratta tra l'uomo e la donna, che s'impegnano volontariamente ad

unirsi insieme per tutta la vita col disegno primo di rendersi scambievolmente felici coi loro reciproci servigj, e con le tenere espressioni di un amore di preferenza, di cui essi promettono riserbarsi esclusivamente le particolari testimonianze e favori; secondo di generar de' figli, che appartengono ad amendue, e siano i pegni preziosi, ed i legami più forti del loro scambievole affetto; terzo d'allevare d' accordo i figli, e metterli per quanto possono in istato d'esser felici. Niun uomo ragionevole vorrebbe sposare una donna, niuna donna sensata vorrebbe sposare un uomo, che volontariamente o per incapacità ricusasse ciò, che esige ciascuno di questi fini. Dunque il matrimonio è una società perpetua contratta con la reale intenzione di non romperla giammai, e nella di cui espressione necessariamente questa condizione s'intende sempre sottintesa . . . L'apprensione di poter essere dall' altro conjuge capricciosamente ripudiato basterebbe ad estinguere in ciascuno de'due l'amore vivissimo, che lo porta a questa unione, la di cui principale attrattiva pel cuore, è la sicurezza di poter sempre contare sull'attaccamento della persona, che abbiamo scelta. . . Inoltre finchè due sposi, che si amano, sono in istato di far figli, queste produzioni della lor tenerezza si succedono tanto rapidamente, che quando viene alla luce il secondo, il primo ancora ha bisogno di essere allevato, di modo che la più grande, e la più bella parte della vita de'conjugi passa in questa occupazione. Essi intanto si avanzano negli anni, e diminuendosi insensibilmente, ed estinguendosi la capacità di aver figli, si cancellano le grazie esteriori, e spariscono le attrattive per piacere. Cogli anni si accrescono i bisogni, e la necessità di ricevere delle cure affettuose. Ma da chi attenderle con giustizia? Da chi sperarle con confidenza? Da chi riceverle con piacere? se non da una persona, che ci è unita per l'amicizia, per la riconoscenza, per l'abito di vederci, di amarci, di soccorrerci scambievolmente, e per la memoria de'piaceri, di cui lungo tempo uno è stato per l'altro l'adorata sorgente. Qual tenerezza avrà una seconda moglie per i figli della prima ripudiata con isdegno? Qual confidenza avranno i figli della prima nella seconda, con cui non hanno alcun

vincolo, e che è stata la causa della loro separazione da quella, che li ha prodotti alla luce? Qual amore avranno per un padre, che ha lasciata con disprezzo colei, che li ha messi nel mondo, che doveva allevarli, e che sola avrebbe avuto tutto lo zelo per la loro conveniente educazione? Qual capitale potrà fare un uomo del cuor di una donna, che per leggerezza ha abbandonato il suo primo marito? E viceversa una donna avanzata abbandonando uno sposo, che allettò nella sua gioventù, potrà sperare di allettare un secondo, a cui non può offrire quelle fresche rose, quel cuor semplice, quella sensibilità, che l' uso ha rintuzzato. Regnerà Ella sull' animo del secondo sposo, che nulla le deve per lo passato e non vede sotto ai suoi occhi de' Figli, che gli richiamino l' immaginazione altre volte gradita della loro madre? Avrà Ella tanta accortezza per adattarsi al di lui carattere, che non conosce, al suo umore, a cui non è ancora assuefatta? E viceversa. Finalmente se i conjugi avessero la speranza di separarsi a loro talento, quale stimolo avrebbero di scambievolmente soffrirsi, e di sforzarsi di rendersi l'uno all' altro gradevole? Quella speranza incoraggirebbe le viziose passioni a non riconoscere alcun freno: al menomo raffreddamento si penserebbe ad una nuova scelta: la Donna esaminerebbe curiosamente tutti gli uomini per trovarne uno secondo il suo genio, che possa succedere all' attuale suo sposo, e viceversa: niuna fedeltà sarebbe nel matrimonio, niuna costanza nell' amore, niuna confidenza fra i sposi: il vincolo conjugale non sarebbe, che una formalità per legittimare la fornicazione, ed un mezzo di contentare un gusto passeggiero, attendendo, che un altra fantasia faccia prendere altre misure. Questi effetti per l' appunto si viddero nei Giudei, che, abusando della legge permissiva del ripudio, giunsero ad autorizzarlo nell' uomo per un semplice raffreddamento concepito verso la prima moglie, e per una nuova passione conceputa verso altra donna. Lo stesso abuso dopo cinque secoli si fece dai Romani delle leggi di Romolo, e delle 12. tavole, a segno che anche le donne ottennero, o si arrogarono il dritto di ripudiare i mariti, e come dice Seneca *L.* 3. *de Benefic. C.* 6 « Le più il-

lustri dame non si maritavano che colla speranza del divorzio, ed erano al caso di contare gli anni non per i Consoli, ma per i mariti, nelle di cui braccia successivamente passavano». Il qual costume rimprovera Marziale. *Epig.* 6.

Aut minus, aut certe non plus tricesima lux est,
Et nubit decimo jam Thelesina viro.
Quæ nubit toties non nubit: adultera lege est.
Offendar mœcha simpliciore minus.

Nihilominus idem De-Felici matrimonii vinculum licite posse dissolvi ob causas a Puffendorfio allatas mordicus contendit. Sed contra ipsum sufficiunt quæ jam diximus contra Puffendorfium.

§. 350. Nec etiam negamus, ob causas a Puffendorfio allatas, et ob immanem sævitiam innocenti conjugi fas esse a perfidi domo discedere, vel perfidum e sua domo repellere, ita tamen ut in actuali statu civili hujusmodi separatio (excepto gravis et imminentis damni periculo) nonnisi judicis decreto fieri debeat.

§. 351. Sequitur, ut ad examen revocemus, num omnes homines, qui et sui compotes sunt, et organis ad generationem necessariis bene instructi, ex officio naturali teneantur conjugalem statum inire? Nos porro cum omnibus catholicis negativæ sententiæ subscribimus. Quamvis enim in homine sit appetitus sensitivus ipsum illecebris ad conjugium impellens, quia tamen homo non appetitu sed ratione gubernatur, ubi hæc nil imperet, omnis evanescit obligatio. Jam vero rationem singulis hominibus non præcipere, ut nuptias contrahant, in-

victe demonstrat Divus Thomas *Supplem.* 3. *partis. Quæst.* 41. *artic.* 2. *in corpore* sequentibus verbis : « Natura inclinat ad aliquid dupliciter : uno modo sicut ad id, quod est necessarium ad perfectionem unius, et talis obligatio obligat quempiam, quia naturales perfectiones omnibus sunt communes. Alio modo inclinat ad aliquid, quod est necessarium ad perfectionem multitudinis. Et cum multa sint hujusmodi, quorum unum impedit aliud, ex tali inclinatione non obligatur quilibet per modum præcepti; alias quilibet homo obligaretur ad agriculturam, ædificatoriam, et ad hujusmodi officia, quæ necessaria sunt communitati humanæ, sed inclinationi naturali satisfit, cum per diversos diversa de prædictis complentur. Cum ergo ad perfectionem humanæ multitudinis necessarium sit, aliquos contemplativæ vitæ inservire, quæ maxime per matrimonium impeditur, inclinatio naturæ ad matrimonium non obligat per modum præcepti etiam secundum Philosophos. Unde Theophrastus (ut refert Hieronymus *Lib.* 1. *contra Jovinianum Cap.* 28.) probat, quod sapienti (si continere possit) non expedit nubere (1) ».

(1) Antiqui Hebræi teste Seldeno *Lib.* 5. *Cap.* 3. tradebant, præcepto illo divino « crescite, et multiplicamini », omnes masculos teneri, ut ante 20 annos uxorem ducant, nisi aut assiduo legis studio quis incumbat acriori libidinis stimulo immunis, aut partium, quibus viri sumus, defectu generationi sit impar. Et hoc præceptum

omnes Noachitas stringere. Adebant qui, uxori superstes prolem utriusque sexus, ejusque integri (nam spado, aut filia plane sterilis prolis vicem hic non obtinebat) non haberet, præcepto isti non satisfecisse. Eum autem, cujus filius et filia mortui relinquerent liberos utriusque sexus, præcepto liberum fuisse, filiorum filiarumque locum nepotibus et neptibus supplentibus. Aliter semper ætate non effeta teneri, ubi in prole sexus deesset alteruter. Nec sufficere, ut sterilem quis vetulam, aut nondum viri potentem duceret, nisi et fœcundam superinduceret. Addit Leo Mutinensis *de Ritibus Hebraicis Part.* 4. *Cap.* 2. etsi præcepto jam memorato, satis factum sit, si quis prolem masculam et femellam habeat, non minus tamen ætati et viribus habilem teneri ad habendam uxorem evitando fornicationis periculo (nonnulla in similem sententiam tradit Plato *de Leg. Lib.* 11. ubi etiam additur: « liberorum sufficiens minimus numerus mas et fœmina». Cæterum an ad fœminas etiam id præceptum extenderetur inter ipsos non satis conveniebat. Maxime probabile est, dixisse, fœminas ad certum temporis terminum non obligari, cum in earum facultate non sit quando velint nubere, commoda tamen conditione se offerente, ipsas quoque teneri generationi humanæ speciei operam dare. Occurrit denique apud ipsos hæc sententia: « quicumque negligit præceptum de multiplicatione generis humani habendum esse veluti homicidam». Et tamen apud Judæos Essenorum secta effloruit, quæ omnem fœminarum usum ejeraverat, de qua vide Plinium *Lib.* 5. *Cap.* 17. et Solinum *Cap.* 38. Plutarchus Lycurgi legem recitat, ut cælibes nudarum certantium spectaculo arcerentur, et circa brumam edicto Magistratuum forum vestibus spoliati obirent cantilenam in se compositam concinentes, merito ita se puniri, quod non parerent legibus, ac demum honoribus, et observantiæ quam juvenes præstabant senibus, expertes forent. Phoclides: « ne maneas cælebs, ne forte obscurus pereas: da aliquod naturæ, et gigne vicissim, sicut genitus es». Plato *de Leg. Lib.*4. « Uxorem ducere quisque debet,cum annos habet 30,cogitans, quod natura quadam humanum genus quodammodo immortalitatem consequitur.... Nefas autem esse immortalitate se ipsum sponte pri-

vare. Hac vero et animo ille se privat, qui filios et uxorem negligit». Romæ Camillus, et Posthumius Censores aera pœnæ nomine eos qui ad senectutem cælibes pervenerant in ærarium deferre jusserant, quod mulctæ genus dicebatur uxorium. De lege Papia Poppea vide Lipsium ad ann. III. Taciti, et Jacob Cothofredum. Plutarchus in *Apothegmatibus laconiis* narrat, Dercyllidæ præclaro alioquin Imperatori quemdam juniorum sede non decessisse: « neque enim, inquit, tu genuisti, qui mihi olim cessurus sit ». Ælianus *Hist. L.* 1. *Cap.* 6. recitat legem Spartanorum, ut qui tres filios Reipublicæ suppeditaret, is ab excubiis liber esset, qui vero quinque, ab omnibus officiis, et sumptibus publicis foret immunis.

Divus autem Thomas præclare juxta morem hac in re ait: 2. 2. *Quæst.* 52. *Artic.* 2. « Præceptum Genesis « multiplicamini etc. » non respicit singulos, sed multitudinem hominum, quam necessarium est non solum multiplicari corporaliter, sed etiam proficere spiritualiter, quo circa satis providetur humanæ multitudini, si quidam generationi carnali operam dent, quidam contemplationi divinorum vacent ad totius humani generis pulchritudinem ac salutem.

Audiri etiam meretur Puffendorfius *Juris Nat. ac Gent. Lib.* 6. *Cap.* 1. §. 3. scribens: « Cum socialis vitæ fundamentum sit matrimonium, apparet, homines ad hoc ineundum obligari *per modum tamen præcepti affirmativi, indefiniti et indeterminati, et quod non singulos necessario, et quovis tempore obliget.* Præcepta enim affirmativa ad sui impletionem requirunt occasionem. Matrimonia autem contrahendi occasio non ex sola ætate, aut generandi aptitudine intelligitur, sed ut copia quoque sit decentis conditionis, nec non facultas alendi uxorem, et prolem, ac idoneitas ad gerendum partes patris familias». Aliquando etiam præsentium temporum et incumbentis functionis conditio de matrimonio cogitare non patitur. Vide 1. *Corinth.* 7. *V.* 26. Præterea (subdit Idem Auctor *loc. cit.* §. 7.): « quia matrimonio opus est, tum ut per sobolem humana species conservetur, tum ne vaga libido decus humanæ societatis polluat, apparet, si neuter eorum finium detrimenti quid

passurus sit, non reprehendendum illorum cælibatum qui probabiliter prævident, se in cælibi vita ad quam se habiles deprehendunt, plus humano generi, aut civitati suæ utilitatis posse præstare, quam uxoratos ». Quo referantur oportet ut observat Lampredi, qui divina consilia secuti cælibem eligunt vitam, ut diligentius et expeditius sacerdotalibus officiis, et religioni vacare possint, ex qua innumera in rem publicam bona derivantur.

§. 352. Nec dicas, id naturali officio singulis esse præceptum, a quo si omnes abstinerent, actum esset de humano genere, prout extra omnem dubitationis aleam est conjugium. Unde Seneca Tragicus Hyppolitum sic loquentem inducit *Versic.* 464. *et seqq.*

. . . . . . Cælibem vitam probet
Sterilis juventus: hoc erit quidquid vides
Unius ævi turba, et in semet ruet.

Non inquam hoc regeras: Deus enim, qui providentia sua cuncta sapientissime moderatur sicut diversos ad diversa officia, et actus inclinat, ac disponit, ut alii quidem sint agricolæ, alii fabri lignarii, alii sutores, alii pistores, alii præsint, alii subsint, qui omnes ad bonum commune multitudinis necessarii sunt, ita disponit, ut alii conjugalem statum eligant, alii cælibem, ut sic habeatur, et compleatur multitudinis bonum.

§. 353. Cave tamen, ne credas, nos iis, qui ab uxoriis curis sunt expediti, moralem facultatem concedere, venereas voluptates ex-

tra conjugium quærendi. Cum enim istas natura concesserit, ad hoc ut proles facilius procreetur modo convenienti futuræ illius educationi, quæcumque vel nullatenus, vel non convenienter ad prædictos fines ordinari possunt, naturalibus officiis prohibitæ censeri debent. Hujusmodi autem esse omnes illas, quæ habentur extra conjugium, satis liquet ex dictis de Matrimonio (a §. 340. ad §. 349. inclusive).

§. 354. Et sane ut aliquid de simplici fornicatione, seu de naturali commixtione soluti cum soluta dicamus, de qua major potest esse difficultas, omittimus in primis, quod plerumque in hujusmodi commixtione non prolis generatio, et educatio intenditur, sed sola libidinis expletio, ideoque agitur contra finem a natura intentum. Sed etiamsi quandoque aliquis ex fornicatione prolem quærat, non tamen talis actio, ut egregie animadvertit Divus Thomas *Supplem.* 3. *partis. Quæst.* 65. *artic.* 3. *in corp.* « Est conveniens ad prolis bonum, in quo non solum intelligitur ipsius procreatio, per quam proles esse accipit, sed etiam educatio et instructio, per quam accipit nutrimentum, et disciplinam a parentibus .... Cum autem educatio et instructio proli a parentibus in longum tempus debeantur, exigit lex naturæ, ut pater et mater in longum tempus commaneant ... ad subve-

niendum communiter proli. Unde et aves, quæ communiter pullos nutriunt, ante completam nutritionem non separantur a societate, quæ incipit a concubitu. Hæc autem obligatio ad commanendum fœminam marito matrimonium facit. Et ideo patet, quod accedere ad mulierem non junctam sibi matrimonio, quæ concubina vocatur, est contra legem naturæ». Et ita quidem ut nullo tempore illud secundum se licitum fuerit, nec etiam ex dispensatione: sicut enim ex dictis patet (ait citatus Doctor *ibidem artic.* 5. *in corp.*): « concubitus cum ea, quæ non est matrimonio juncta, non est conveniens actio ad bonum prolis, quod est principalis finis matrimonii. Et ideo est contra prima naturæ præcepta, quæ dispensationem non recipiunt (1). Unde ubicumque legitur in Veteri Testamento, aliquos concubinas habuisse, quos oporteat a peccato mortali excusare, oportet, eas esse matrimonio junctas, et tamen concubinas dici, quia aliquid habebant de ratione uxoris, et aliquid de ratione concubinæ. Secundum quod enim matrimonium ordinatur ad suum principalem finem, qui est bonum prolis, uxor viro conjungitur indissolubili conjunctione, vel saltem diuturna, ut ex dictis patet. Et circa hoc non est aliqua dispensatio. Sed quantum ad secundum finem, qui est dispensatio familiæ, et communicatio operum, uxor conjun-

gitur viro ut socia. Et hoc deerat in his, quæ concubinæ nominabantur. In hoc enim poterat esse dispensatio, cum sit secundarius matrimonii finis. Et ex hac etiam parte habebant aliquid simile concubinis, vi cujus concubinæ nominabantur (2) ».

(1) Opponitur Dei præceptum Oseæ 1. « Vade sume tibi uxorem fornicariam, et fac tibi filios fornicationum ». At: « quid inimicum fidei Christianæ (Augustinus *Lib. Cont. Secundianum Cap.* 21.) si meretrix relicta fornicatione in castum conjugium commutetur?... Cum meretricem propheta fecit uxorem, et ad vitam corrigendam mulieri consultum est, et figuræ sacramentorum expressum ». Hoc enim factum præfiguravit Christi unionem cum Ecclesia olim gentili, et omni criminum genere coinquinata, quæ Christo unita immaculata evasit, filios prius gentiles habuit, in spiritu gratiæ ejus adoptatos, et novos spiritualiter genuit. Hinc Hieronymus « quanto illa sordidior est, tanto propheta patientior, qui talem duxit uxorem ». Illud autem: « fac tibi filios fornicationum » vel sic intelligi potest: acquire tibi adoptione filios, quos illa fornicando pepererat, eo ferme pacto quo *Genes.* 12 *V.* 5. Abraham, et Sara in egressu de Aran tulisse dicuntur omnes animas, quas ibi fecerant, nempe acquisierant vel emptione, et nativitate ex eorum ancillis, vel eas ad veri Dei cultum convertendo, et huic interpretationi favent Codices Hebræi, Græci, et multi latini. (Vide *Calmet hic*, et *Sylvium Quæst.* 100. *artic.* 8.) ubi non legitur fac tibi, sed sume tibi uxorem, et filios fornicationum; vel dicendum, filios omnes generandos dici filios fornicationum, quia illos generare debebat ex muliere prius fornicaria. Scriptura enim solet aliquando personam exprimere ex aliquo adjuncto, quod prius habebat, quamvis postea illo careat. Sic nominatum legimus Simonem Leprosum *Math.* 26. *Mar.* 14. a lepra, quam antea passus fuerat.

Innocentius X. damnavit propositionem: « *Fornica-*

tionem non esse malam secundum se, sed solum ut prohibitam.

(2) Bellarminus *Lib.* 1. *de Matrim. Cap.* 11. ait: « Hebræi et Gentiles duo genera uxorum habebant: quædam enim ductæ erant, et ad procreandos liberos, et ad totius domus gubernationem, quæ uxorum nomine honorabantur, et quarum filii hæreditatem in primis consequebantur. Aliæ autem ad solos liberos procreandos assumebantur, et concubinæ vocitabantur ».

§. 355. Multo magis autem naturalibus officiis repugnat dissipare cum ejusdem sexus personis, aut aliter, quod natura ad humanam speciem propagandam destinavit (1); sed ad nuptias revertamur.

(1) Absurdissime scripsit Thomasius *Jur. Div. Lib.* 3. *Cap.* 2., Concubitum cum bestiis, pederastiam, consuetudines vagas, uno verbo omnem usum genitalium membrorum soli libidini exercendæ intentum jure naturæ non esse illicitum, sed ut illicitus intelligatur, recurrendum esse ad leges positivas universales. Postea tamen in *Fundam. Juris Nat. ac Gent. Lib.* 3. *Cap.* 2. §. 6. 7. 21. *et seq.* has conjunctiones repugnare docuit honestati saltem naturali.

§. 356. Inter personas consanguinitate in linea recta conjunctas, nempe inter patrem et filiam, inter matrem et filium, inter avum et neptem, inter aviam et nepotem etc. fœda esse, ac naturaliter invalida connubia, ex eo satis patet, quod iis pervertantur omnino naturales relationes, quæ perpetuo inter hujusmodi personas esse debent. Natura enim moralem inæqualitatem posuit inter patrem et filiam, inter

matrem, et filium etc., quæ moralis inæqualitas quoddam postulat amoris genus, valde diversum ab illo, quod inter conjuges esse debet: illud enim superioritatis ex una parte, et ex alia dependentiæ; hoc vero æqualitatis est. Ubi cum Divo Thoma *Supplem.* 3. *Partis. Quæst.* 54. *Artic.* 3. *in corpore* advertendum, quod: « magis reverentiæ, quæ debetur parentibus, derogatur, si filius matrem, quam si pater filiam ducat uxorem, cum uxor viro aliqualiter debeat esse subjecta ».

§. 357. Eandem diverso modo rationem adhibent, qui talium conjunctionum fœditatem inde colligunt, quod per eas diversa necessitudinum vocabula confundantur. Sic apud Ovidium *Metamorph. Lib.* 10. *v.* 349. *et seqq.* ait Myrrha :

Nec quod confundas et jura, et nomina sentis?
Tu ne eris et matris pellex, et adultera patris?
Tu ne soror nati, genitrixque vocabere fratris?

Et apud Senecam tragicum *in Agamemnone Ver.* 34. *et seq.* Thyestes :

. . . . Versa natura est retro
Avo parentem, (proh nefas!) patri virum
Natis nepotes miscui . . . .

Itemque « per scelera natus nomen ambiguum suis. Idem sororis gnatus, et patris nepos ». Et apud Sophoclem Oedipus: « O nuptiæ nu-

ptiæ genuistis nos, et postquam genuistis, rursus remittitis idem semen, atque exhibuistis patres, fratres, liberos, sponsas, uxores, matresque, et quæ turpissima inter homines censentur». (1)

(1) Xenophon in conjugio patris et filiæ etc. nil culpandum invenit præter ætatis disparitatem, unde aut sterilitatem ait sequi, aut male conformatam sobolem. At inter alios non obstante quavis ætatis disparitate valide conjugium initur. Indi, Aetyopes, Persæ et Parthi testibus Augustino *Quæst.*61. *in Levit.*, et Hieronymo *Lib.*2. *contra Jovinianum*, hujusmodi nuptias non horrebant. Contra Philo Judæus *de specialibus legibus p.* 728. *Edit. Paris.* dum in Persas invehitur connubia cum matribus admittentes, addit: « Quo nihil excogitari potest magis impium, conspurcari defuncti patris thalamum, cui maxima debebatur religio, matri nullam exhiberi reverentiam, filium eumdem, et maritum fieri, matrem vicissim uxoris nomen assumere: communes liberos patris quidem fratres, matris vero nepotes censeri. Hanc prolis suæ matrem simul esse et aviam, illum filium patrem, et fratrem uterinum ». Non minus detestabile est, quod de incolis insulæ Zeilan referunt, patrem ibi nubentis filiæ virginitatem delibare, quia inquiunt, æquum est, quod ex arbore, quam ipse plantavit, primos fructus carpat.

Non injucundum erit hic addere vetus epitaphium sequentibus verbis expressum:

Hersilus hic jaceo, mecum Marulla quiescit,
Quæ soror et genitrix, quæ mihi sponsa fuit.
Vera negas, frontemque trahis, ænygmata sphingis.
Credis? sunt Pythio vera magis tripode.
Me Pater e nata genuit: mihi jungitur illa.
Sic soror, et conjux, sic fuit illa parens.

358. Non tantam certe fœditatem præseferunt nuptiæ inter consanguineos in primo

gradu lineæ transversæ, nempe inter fratrem et sororem, imo illas in casu extremæ necessitatis (quoties nimirum alia via non adsit conservandi, et propagandi genus humanum) licitas et naturaliter validas ex eo fateri cogimur, quod hujusmodi nuptiis primitus humana species propagata fuit. At casu illo excepto istas quoque fœdas esse, ac naturaliter invalidas facile colligitur: 1., ex eo quod hic etiam non levis esset naturalis ordinis perturbatio: idem namque simul foret filius ac nepos: amor autem filii est in alio ordine ac amor nepotis; 2., ex eo quod sub spe matrimonii in tanta libertate, quanta sub uno tecto fruuntur fratres et sorores, nunquam incestibus fieret satis. (1)

(1) Nonnulli Hebræi asserunt, Evam quovis partu marem et fœminam edidisse: cautum autem fuisse, ne gemelli inter se matrimonium contraherent. At in primis hoc gratis asseritur. Deinde quamvis hoc verum foret, semper tamen fratres et sorores inter se matrimonium contraxissent.

§. 359. Quoad alios denique consanguinitatis, et affinitatis gradus nihil videtur præscripsisse natura, quamvis aliquæ rationes in promptu sint, quæ suadent, convenientius esse, ut intra certos gradus non ineantur conjugia. Prima est, quod per extraneorum connubia hominum augentur amicitiæ, et magis inter se junguntur familiæ; secunda vero, quod

etiam inter certorum graduum consanguineos et affines magna esse solet familiaritas, ideoque matrimonii spes fomentum foret ad incesta. Hinc Deus *Levit.* 18. *Versic.* 6. ait: « Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem suam ». Proximæ autem nomine sequentibus versibus exponit indigitari nedum matrem et sororem, sed etiam novercam, nurum, amitam, patrui et fratris uxorem, ac denique uxoris filiam, vel filiam filii ejus, aut filiam filiæ ejus.

CAPUT XIV.

De Patria Potestate, nec non de Parentum, et Liberorum officiis naturalibus.

§. 360. Cum filiorum educatio, quæ parentibus incumbit, perfici nequeat, nisi parentes imperent, et filii obtemperent, cumque obedientia frequenter sine coactione obtineri non possit, dubitandi locus non adest, quin ipsa natura jus parentibus contulerit filiorum actiones etiam per coactionem si opus fuerit dirigendi, quod jus patria potestas nuncupatur, et oritur, ut ex dictis patet, non ex occupatione, ut opinatur Hobbesius, nec ex tacito, ac præsumpto parentum et liberorum consensu, ut contendit Puffendorfius: (consensus enim, ut observat Hertius, præ-

sumi non potest, ubi per naturam non est locus expresso); sed ex generatione cum educandi debito conjuncta.

§. 361. Tanta autem est parentum potestas, quantum rectæ educationis officium requirit. Illa ergo importat solummodo, ut filiis præscribant, quid agendum sit, quid omittendum, eosque immorigeros pro re nata castigent, et coerceant; non autem jus ipsis tribuit abortum procurandi, aut prolem recens natam exponendi, sicut nec jus illos occidendi, imo nec illos venumdandi præter casum, quo parentes nullatenus possent eos alere: tunc enim venumdarentur, ne fame perirent. (1)

(1) Grotius, aliique putant, jure naturæ alimenta filiis a parentibus deberi non ex justitia expletrice, sed attributrice dumtaxat, ita ut parentes illa denegantes valde inhumaniter faciant, at liberis jus non competat ab invitis parentibus illa exigendi, qui proprius est effectus justitiæ expletricis. «Nobis autem, inquit Puffendorfius *Lib.* 4 *Cap.* 11. §. 4, persuasum est parentibus perfectam obligationem incumbere filios alendi, quamdiu ipsi se alere nequeunt, eaque injuncta videtur nedum ab ipsa natura, sed etiam ipso parentum facto, dum liberos generant: magnam enim proli suæ facerent injuriam si eam ideo tantum generassent, ut periret. Ergo generando videntur, se ultro obstrinxisse ad prolis vitam, quantum in se est conservandam. Sic igitur in liberis erit perfectum jus alimenta petendi (proindeque sicut pater dicit: impero quia genui, sic filius respondet: alimenta peto, quia genitus sum;) quæ ratio veteres Ecclesiæ Patres impulit ad sententiam, quam Grotius sequitur vehementer damnandam». Cæterum alimentorum

nomine veniunt nedum necessaria ad naturalis vitæ conservationem (qualia sunt victualia, medicamenta, sumptus in medicos etc.), sed etiam quæ hominem ad socialem, et civilem vitam reddunt idoneum, attentis fortuna parentum, et indole filiorum. Rursus alimenta nedum legitimis filiis debentur, sed etiam naturalibus, imo et ex quovis damnato coitu natis. Cur enim misera, et innocens proles ob alienum delictum fame pereat?

§. 362. Item tamdiu naturaliter durat patria potestas, quamdiu filii educationis indigentiam præseferunt, quo tempore naturaliter minorennes dicuntur, dum contra quando educatione non amplius indigent, naturaliter majorennes appellantur (1).

(1) Matrum dignitatem nimis deprimit Heschilus dicens: « Non mater illi, quem suum gnatum vocat, genitrix, sed altrix est imbris genitabilis. Gignit rigator: illa velut hospes, Dei si cura faveat, hospitis servat genus ». Melius Sydonius Apollinaris *Lib. IV. Ep.* 21. « Est quidem Princeps in genere monstrando Patris prærogativa; sed tamen multum est, quod et matribus debemus. Non eas a nobis aliquid exilius fas est honorari quod pondera illarum, quam quod istorum semina sumus ». Imo Quintilianus *Declam.* 338. « Alia est horum ratio, quos brevis transitus voluptatis fecit parentes, quos liberis suis extra positæ voluptates conciliant. Aliter amant quæ pepererunt, quæ memoriam decem mensium, quæ tot periculorum, tot sollicitudinum recordationes afferunt ».

§. 363. Hic autem duo sedulo sunt animadvertenda: primum, filios etiam minorennes, dummodo perfecte sui compotes sint, et pubertatem assecuti, naturali jure præcise spe-

ctato conjugalem vel cælibem statum, etiam invitis parentibus valide amplecti, quamvis ut plurimum hujusmodi nuptiæ culpa non careant, quia parentes plerumque sunt rationabiliter inviti. Secundum, filios etiam majorennes si eandem cum patre familiam velint constituere, obedientiam in iis omnibus patri debere, quæ rectam familiæ gubernationem respiciunt.

§. 364. Quod si majorennes filii paterna familia prorsus excesserint, iis nihilominus tanquam post Deum vitæ auctoribus sinceram adhuc debent reverentiam, et grati animi memoriam pro maximo educationis beneficio. Unde non solum a quavis actione abstinere tenentur, quæ rationabiliter parentibus displicere possit, sed insuper iisdem indigentibus pro virili parte succurrere, quamvis forte ii morosiores essent, vel etiam improbi. Ut enim egregie observat Epictetus in *Enchiridio cap.* 37. « Omnia officia mutuis relationibus sunt metienda. Pater est? præcipitur curam ejus agendam, cedendum ei in omnibus: si convicietur, si verberet, ferendum esse. At pater malus est. Numquid natura cum bono patre conjunctus es? Non, sed cum patre. Tu ergo munus tuum erga eum tuere, nec quid ille agat considera, sed quibus rebus agendis tuum institutum naturæ futurum sit consentaneum ». Nec prætereundum illud Senecæ *Lib.* 3. *de Benefic.*

cap. 29. « Quidquid est, quod dat patri filius utique minus est, quia hanc ipsam facultatem patri debet. Ita nunquam beneficio ejus vincitur (1. et 2.) ».

(1) Inter eos qui in Civitate degunt, côntingere potest, quod pater filio propter publicum officium debeat reverentiam exhibere, salva patris inter privatos respectus prærogativa. Sic Fabius ipse Cunctator filii Consulis factum probavit, quod ipsum sibi obvium equo descendere jussisset, testibus Gellio *Lib*. 2. *Cap*. 2. et Valerio Maximo *Lib*. 2. *Cap*. 2.

(2) Perpetua liberorum obligatio reverendi parentes, iisque indigentibus opem ferendi ex generatione simul et laboriosa educatione provenit. At oritur ne magis, ut nonnulli opinantur, ex actu generationis per quem parentes quodammodo Deum referunt, et vitam filiis dant bonum utique præstantissimum, et cæterorum omnium occasionem, an potius ex fideli et laboriosa educatione? « Nobis, ait Pufiendorfius *Jur. Nat. et Gent. Lib*. 6. *Cap*.2. *p*. 12. verius judicatur, jus obligationis ex educatione, quam ex nuda generatione resultare ». Unde Quintilianus *Declam*. 285. ita Patrem quendam loquentem inducit: « Non jam imputo illa vulgaria, lucem, jus libertatis, et usum vitæ: hoc imputo quod fortiter fecisti. Animus iste ad contemnendum periculum paratus ex meo fluxit. Ego te diu præceptis feci virum fortem, proxime etiam exemplo ». Et revera parentes dum copulam exercent, sæpe non prolis generationem, sed propriam delectationem, vel unice, vel maxime intendunt. Quo spectat lex Solonis apud Plutarchum, qua ad alendos parentes non adstringebantur ex meretricibus procreati. « Qui enim nuptiarum decus præterit, profitetur, se non liberorum causa, sed voluptatis adsciscere mulierem habetque mercedem suam, nec locum sibi relinquit querendi de genitis, quibus ipsam reddidit probrosam nativitatem ».

Hinc Juvenalis *Satyr*. 14.

Gratum est, quod patriæ civem populoque dedisti
Si facis, ut patriæ sit idoneus, utilis agris,
Utilis et bellorum, et pacis rebus agendis.

Et Aristoteles *apud Diogenem Laertium Lib.* 5. ait : « parentes qui liberos erudiendos curassent longe honorabiliores esse iis, qui solum genuissent : hos enim vivendi tantum, illos etiam bene, beateque vivendi auctores esse.

§. 365. Sed ad patriam redeamus potestatem, et videamus 1. quomodo illa parentes uti debeant, 2. num ad alios illa transire possit.

§. 366. Ad primum quod spectat, certam omnino est, ut jam alibi monuimus, quod Parentes teneantur liberos alere, illorumque valetudinis, et membrorum integritatis diligentissimam curam habere. Multo magis autem sedulam operam navare debent, ut liberi perficiantur in intellectu, et voluntate juxta tradita a §. 162. ad §. 184. inclusive, itemque scientias, vel artes addiscant, sibi aliisque hominibus utiles. Hos autem fines facile consequentur Parentes, si nimiam cum filiis vitent familiaritatem, quæ pedentim parit contemptum, eos a noxiis exemplis, et societatibus arceant, ex oculo non temere demittant, ac denique nedum rationibus, sed maxime exemplis, quæ majorem efficaciam habere solent, ad congruum laborem, et potissimum ad virtutum exercitium inducant (1).

(1) Juvenalis. *Sat.* 14. *Versic.* 44. *et seq.*
Nil dictu fœdum, visuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer est, procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, et cantus pernoctantis parasiti

Maxima debetur puero reverentia. Si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos:
Sed peccaturo obstet tibi filius infans.

§. 367. Ad secundum vero quod attinet, extra omnem dubitationis aleam positum est, Parentes, qui vel ob infirmitatem, vel ob paupertatem, vel ob imperitiam educationis oneri subeundo satis apti non sunt, licite posse illud aliis committere, qui statim ac hujusmodi onus acceptant, fiunt patriæ potestatis participes, et juribus ab illa promanantibus erga priorum liberos gaudent, salva semper suprema eorumdem parentum inspectione. Patet etiam, idipsum licite fieri posse a parentibus morti proximis pro tempore mortem ipsam consecuturo: quin imo parentes in hujusmodi personarum, quæ tutores dici sueverunt, electione sedulam operam adhibere tenentur, itemque illam saltem bonorum suorum partem liberis relinquere, quæ sufficiat, ut ad eum statum perveniant, quo sibimetipsis propria industria commode possint providere.

§. 368. Nemo denique inficiabitur, utroque parente mortuo sine tutoris electione, onus educationis ad proximiores agnatos, vel cognatos devolvi; et ita quidem, ut si parentes bona non reliquerint, ex quibus possint substentari pupilli, non solum proximitatis, sed etiam divitiarum ratio habenda sit. Necesse siquidem est, ut pupilli educentur: quare ali-

quis hominum hoc onus ferre tenetur; et quis potius, quam dives agnatus, et post ipsum dives cognatus?

CAPUT XV.

De Societate herili, et officiis inde fluentibus.

§. 369. Ex quo ita comparati sint homines, ut ad vitæ commoditatem alii aliorum ope indigeant, ortum habuit societas herilis, quæ pacto initur, ut unus operam suam in rebus domesticis locet, alius vero mercedem præstet, aut victum una cum iis rebus, quas vitæ necessitates exigunt. Porro qui operam suam sic alteri locat, servus, vel serva dicitur, cui autem operæ locantur, herus, vel hera. Hic tamen advertendum, hujusmodi servos mercenarios, qui licet perpetuo alterius famulatui sine ulla conditione, et ad quascumque res se addixerint, sui juris esse non desinunt, valde ab iis differre, quorum personæ sic alteri mancipatæ sunt, ut hoc ipsum quod sunt, sit alterius. Ita Divus Thomas *Lib. I. Polit. Lect.* 2. ideoque mancipia dici sueverunt, cujusmodi a Justiniano *Instit. L. I. de jure personarum* appellantur ii, qui vel in bello justo capti sunt, vel ex ancillis nostris nati, vel majores 20. annis ad pretium participandum se venumdari passi sunt.

§. 370. Mercenariam porro servitutem, quam nonnulli etiam imperfectam appellant, naturalibus officiis non adversari, omnes uno ore fatentur: est enim merus contractus: « Do ut facias, et facio ut des », nec famulo politicam adimit libertatem. Diversimode autem de mancipiorum servitute, quæ perfecta etiam, et obnoxia dici solet, sentiendum esse contendunt Puffendorfius, De-Felici, Montesquieu, aliique non pauci, quos hic brevissime refellere intendimus, monentes tamen cum Seneca *Lib.* 1. *de Clementia Cap.* 18.: « in mancipio cogitandum non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura, quæ parcere etiam captivis, et pretio paratis jubet ». Nec enim domini est vita mancipii, imo nec hujus corpus est sub illius dominio, nisi ut ipso rationabiliter in suum commodum utatur; ideoque dominus mancipium occidens, vel in ipsum sæviens, justitiam procul dubio violare censendus est. Hinc absurdissima est quæstio a Juvenali *Sat.* 6. *V.* 219. *et seqq.* hisce verbis expressa:

Pone crucem servo: meruit quo crimine servus
Supplicium? Quis testis adest? quis detulit? Audi:
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.
O demens! Ita servus homo est? nil fecerit: esto
Sic volo, sic jubeo: sit pro ratione voluntas (1).

(1) Trimalchio apud Petronium ait: « amici et servi homines sunt, et æque unum lac biberunt, etiamsi illos malus fœtus oppresserit ». Et Philemon apud Hobbæum: « Here quisquis es homo natus quamvis serviat is servitutem, tamen esse homo non desinit ». Tullius denique *Lib.* 1. *de Officiis Cap.* 13. « Meminerimus, etiam adversus infirmos justitiam esse servandam. Est autem infirma conditio, et fortuna servorum, quibus non male præcipiunt, qui ita jubent uti, ut mercenariis, opera exigenda, justa præbenda ».

§. 371. Hisce præmonitis, cum vita sit pretiosior civili libertate, licite procul dubio et valide potest quis istam abdicare, si alius præsto non sit vivendi modus, ejusque usum in tali casu alteri vendere, qui proinde legitimus ejusdem dominus evadit. Ergo 1. licita et valida est solis naturalibus officiis præcise spectatis obnoxia servitus eorum, qui ad vitam servandam alteri se vendunt, quamvis injustum omnino sit aliquem ad hujusmodi servitutem fraudibus allicere, aut vi compellere. Solis, inquam, naturalibus officiis præcise spectatis, quia inter Christianos mos obsolevit se ipsum in servum vendendi. Nec enim servitus adscriptorum glebæ, sive colonorum terræ adscriptorum, qui cum agro dominum mutant, perfecta servitus est. Hæc quippe non efficit, quod coloni sui juris in reliquis non sint, hoc solum excepto, quod eamdem terræ portionem semper colere debeant, seu ad aliam invito domino transire prohibeantur: quod communis boni causa in aliquibus regionibus factum est,

ne scilicet aliquæ terræ portiones incultæ remanerent.

§. 372. Item si una gens adversus aliam justum bellum gerit, merito supponit, omnes qui contra ipsam arma movent, injustos esse suorum jurium aggressores, proindeque officiis naturalibus præcise spectatis licite potest quotquot ex illis in suam potestatem deveniunt, perpetua servitute damnare, ut gravissimam injuriam, et damna sibi illata compensent, nisi redemptionis pretium solvant, vel in pacis fœdere captivorum utrimque restitutio præscribatur, prout inter cultiores gentes nostris hisce temporibus fieri solet. Ergo secundo, licita est obnoxia servitus eorum, qui in bello justo capti sunt.

§. 373. Denique cum mancipia (§. 369.) sic alteri addicta sint, ut hoc ipsum quod sunt, sit alterius, quidquid ex eis provenit, ad ipsorum dominos procul dubio spectat. Sed filii ex parentibus proveniunt. Si ergo parentes sint mancipia, filii quoque nascuntur mancipia; eo vel magis quod matris opera prægnationis, puerperii, et lactationis tempore non multum Dominus uti possit, diuque filii e servis nati alendi sint, antequam eorum opera domino utilis esse queat, et sequentes operæ sui temporis alimentis respondent. Unde naturali justitiæ consentaneum est, quod servorum filii tamdiu serviant, quamdiu non reddant impen-

sas a domino factas ipsorum intuitu. Hinc *Exodi* 21. *V.* 4. de servo dicitur. « Sin autem Dominus dederit illi uxorem, et pepererit filios et filias, mulier et liberi ejus erunt domini sui (1) ».

(1) Bene monet Hertius, hominum servitutem, quidquid Bartolus, Salicetus, aliique dicant, religioni Christianæ non adversari. Apostolus enim Paulus, numquam Dominos hortatur, ut dominium in servos abjiciant. Nec Philemoni controversiam movet, quominus jus habeat Onesimum puniendi, sed ex specialibus rationibus vult ei pœnam condonari, ut recte observavit Grotius. Et Ignatius Martyr Joanni Apostolo suppar *Epistola* 2. *quæ est ad Polycarpum Smyrn. Episcopum* ait: « Servos, et ancillas ne superbe contemnas, sed nec ipsi inflentur; verum ad gloriam Dei plus serviant, ut potiorem libertatem a Deo consequantur. Non cupiant donari libertate, ne servi inveniantur cupiditatis ».

§. 374. Si vero unus Parentum liber sit, alter mancipium, juris Romani regula, quod partus matris conditionem sequatur, a Divo Thoma *in* 4. *Dist.* 36. *Quæst.* 1. *Artic.* 3. æquissima judicatur. « Quia proles a Patre habet complementum formale, sed a matre substantiam corporis. Servitus autem corporalis conditio est, cum servus sit quasi instrumentum domini in operando; et ideo proles in libertate et servitute sequitur matrem ».

§. 375. Æquissima etiam dicenda videtur hæc alia Romani juris dispositio: « sufficit, matrem liberam fuisse eo tempore, quo proles nascitur, licet ancilla conceperit. Et e contra-

rio si libera conceperit, deinde ancilla facta pariat, placuit, eum qui nascitur, liberum nasci, quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in ventre est ».

§. 376. Denique si ancilla prægnans manumissa sit, deinde ancilla iterum facta pepererit, Martianus *Princ. Inst. de ingenuis* merito probat, filium liberum nasci, dicens : « sufficit enim ei, qui in utero est, liberam matrem vel medio tempore habuisse, ut liber nascatur ».

§. 377. At quænam sunt mutua dominorum, et servorum officia ? Servis mercenariis tenentur domini pactam mercedem statuto tempore solvere, vel iis alimenta et alia conventa suppeditare, illosque ita humaniter tractare, ut ex una parte corporis valetudinem, et robur servare possint, laboresque sustinere, et ex alia otiosi non maneant. Ut enim dicitur *Eccles.* 33. *V*. 29. « multam malitiam docuit otiositas » : quam malitiam domini pro viribus a servis arcere debent, quin imo eniti, ut bonis moribus imbuti sint, ideoque si deliquerint, eos etiam corripere, ac moderata castigatione coercere : servis vero e contra obligatio incumbit conventas operas adamussim præstandi (conventas inquam : non enim dapes ex. gr. coquere tenetur, qui tanquam auriga conductus est) dominos obsequio prosequendi, et bona fide horum utilitatem procurandi.

§. 378. Si servi mercenarii temporanei ex infirmitate vel senectute inhabiles fiant ad serviendum, non tenentur quidem domini ex justitia mercedem aut alimenta illis præstare, quemadmodum tenentur erga mercenarios perpetuos, multoque magis erga obnoxios: charitas tamen et humanitas jubet, ut iis etiam quoad fieri potest subveniatur.

§. 379. Quænam denique sit dominorum potestas in mancipia, optime insinuatur *Eccles.* 33. *Versic.* 25. *et seq.* his verbis: « Cibaria, et virga, et onus asino: panis, et disciplina, et opus servo. Operatur in disciplina, et quærit requiescere: laxa manus illi, et quærit libertatem. Jugum, et lorum curvant collum durum, et servum inclinant operationes assiduæ . . . . Mitte illum in operationem ne vacet. In opera constitue eum: sic enim condecet illum. Quod si non obaudierit, curva illum compedibus, et non amplifices super omnem carnem: verum sine judicio nihil facias grave ». Quamvis ergo mancipia supra vires gravanda non sint, domini tamen jus habent operas in propriam utilitatem ab iis exigendi, imo in operibus cujuscumque robori, et capacitati proportionatis hujusmodi servi sunt omnino exercendi, ne otio torpentes vitiis indulgeant; et quamvis eos occidere, vel in eos sævire non liceat, gravius tamen si delinquerint puniendi, quam mercenarii, contra quos si ad meliorem

frugem redire perfracto animo nolint, ultimum remedium est ablegatio, seu dimissio.

§. 380. Mancipia insuper præter obligationes omnibus servis communes nil sine domini voluntate sibi jure adscribere possunt, nec de domino conqueri, si quovis justo titulo ab eo alienentur, dummodo deditionis, aut venditionis tempore aliter conventum non fuerit.

§. 381. Addere hic possem officia belligerantium, summorum Imperantium, civium, et gentium, quæ per annos supra triginta in hoc ipso Archi-gymnasio quotannis exposui. Sed ne Clarissimo Juris Naturæ ac Gentium hodierno Antecessori materiam nobilissimam surripiam, ab iis enunciandis in hoc opere abstineo; ea forsan in posterum separatim editurus: nunc vero finem huic operi impono concludendo, ut ab initio dixi, omnium officiorum naturalium compendium esse accuratam naturalis ordinis custodiam.

APPENDIX I.

DE HUMANIS AFFECTIBUS.

§. 1. Duplex, ut egregie observat Tullius *de Officiis lib.* 1. *cap.* 29. et intimus uniuscujusque sensus jugiter testatur: « Duplex est vis animorum atque naturæ. Una in appetitu (sensitivo, quem absolute appetitum vocant Peripatetici) posita est, quæ hominem huc et illuc rapit, altera in ratione, quæ docet et explanat, quid faciendum fugiendumque sit. Ita fit, ut ratio præsit, appetitus obtemperet. Efficiendum autem est, ut appetitus rationi obediant, eamque neque percurrant, nec propter pigritiam aut ignaviam deserant, sintque tranquilli, atque omni perturbatione animi careant ». Hac sola ratione fieri poterit, ut naturalia officia erga Deum, erga nos, et erga alios hactenus numerata impleamus. Non erit itaque abs re de humanorum affectuum origine, necessitate, utilitate, partitione, impetu, perversitate, ac modis illos intra debitos fines coercendi breviter disserere: sit igitur.

CAPUT I.

De Humanorum Affectum Origine.

§. 2. Humani quilibet affectus (*nostr. Instit.* §. 19.) nihil aliud sunt nisi motus appetitus sensitivi bonum sensibile prosequentis, et sensibile malum aversantis. Jam vero motus hujusmodi si uniformes et placidi sint, ut aliquando evenit, generale nomen retinent affectuum, seu affectionum sensibilium; si vero, ut sæpe contingit, sint vehementiores, turbidi, et animæ consiliis molesti, vulgo appellantur passiones.

§. 3. Hinc passio generatim definitur: « motus appetitus sensitivi ex confusa apprehensione boni vel mali cum aliqua mutatione non naturali corporis ». Primo enim, ut egregie animadvertit Gerdil *Philosoph. Moral. Diss.* 5. *cap.* 1. movetur seu pellitur animus objecta boni vel mali specie; mox excitatur vehementius appetitus sensitivus ad illius boni prosecutionem, vel mali fugam. Tandem propter animi corporisque nexum oritur in toto statu corporis extraordinaria quædam immutatio. Cor plus justo vel contrahitur, vel dilatatur: fervere interdum sanguis in venis, frigere interdum videtur.

§. 4. In omni ergo passione multa concurrunt, quorum alia ad corpus, alia ad animum pertinent: primo scilicet ab objectis ex-

ternis vividiores, vel debiliores impressiones fiunt in organa sensuum; 2. hujusmodi impressiones ad partem cerebri principalem, quæ sedes est animæ, deferuntur nervorum ope, qui omnes e cerebro prodeuntes in totum deinde corpus diffunduntur; 3. vi naturalis nexus animam inter et corpus a Deo instituti notiones, perceptiones, sensationes illis impressionibus consentaneæ in anima excitantur; 4. animæ cogitationes nutus, imperia vi ejusdem nexus consentaneam in principali cerebri parte impressionem producunt; 5. denique nova hæc impressio nervorum ope variis corporis partibus communicatur, variosque in iis motus excitat, quos non semper, imo nec impressiones in se excitatas ab illis momento temporis potest anima immutare, aut sedare. Cum enim ex dictis tales motus, et impressiones ex vehementiori cordis, sanguinis, et spirituum animalium commotione excitentur, vigeant, et confirmentur, donec ista commotio cesset, impressiones eodem prorsus modo cogitationi nostræ præsentes manent, quo illi præsentia sunt objecta sensibilia, dum agunt in organa sensuum. Et quemadmodum animus, inquit Cartesius, cum valde attentus est alteri cuidam rei, potest se cohibere ab audiendo parvo strepitu, aut parvo dolore sentiendo, sed non potest pari ratione efficere, quin audiat tonitrua, vel sentiat ignem,

qui manum comburit; sic facile potest comprimere minores passiones, sed non vehementiores, vel fortiores, nisi postquam commotio sanguinis, et spirituum sedata fuerit. Id tamen subjungit Gerdil loco citato, quod voluntas facere potest ea vigente commotione, est non consentire illius effectibus, et cohibere plurimos ex motibus ad quos disponit corpus; ex. gr. si ira efficiat, ut manus erigatur ad percutiendum, voluntas eam continere potest, ne percutiat: si metus incitet crura ad fugam capessendam, illa sistere potest voluntas, et sic de cæteris. Potest præterea imo debet animus omnem vim suam intendere, ut ad alias maximeque diversas cogitationes totum se convertat, in hisque attentionem suam plane defigat. Sic enim novis accedentibus cogitationibus, languere incipiet passionis impetus, ac tandem desinet.

CAPUT II.

De Humanorum Affectuum Partitione.

§. 5. Undecim vulgo numerantur præcipui humani affectus, seu passiones, quarum tres, nempe amor, desiderium, et gaudium circa bonum præcise versantur; quinque nempe, odium, fuga, tristitia, timor, et ira præcise circa malum; tres reliquæ nempe, spes,

desperatio, et audacia circa bonum et malum indiscriminatim. Siquidem objecta specie rei bonæ, quam scilicet nobis convenientem judicamus, primum in appetitu sensitivo excitatur amor illius seu propensio, et nisus in illam; 2. si bonum amatum sit præsens, eoque fruamur, excitatur gaudium, sive delectatio; 3. si bonum amatum sit absens, excitatur ejusdem desiderium, sive cupiditas illud obtinendi, eoque fruendi. Similiter objecta specie rei malæ, quam scilicet nobis noxiam, aut molestam judicamus, primum in appetitu sensitivo excitatur odium amori contrarium, seu alienatio a re illa; 2. si malum, quod odio habetur, sit præsens, illudque patiamur, excitatur tristitia, seu dolor gaudio, et delectationi oppositus, simulque non raro ira, seu animi ardor ad malum illud expellendum sumendamque vindictam; si vero malum sit absens, excitatur fuga desiderio contraria, simulque non raro timor, seu mentis trepidatio ex consideratione difficultatis malum illud repellendi. Denique spes oritur ex consideratione boni, quod obtinere, aut mali, quod vitare nos posse probabiliter judicamus, et vicissim desperatio ex consideratione boni quod obtinere, aut mali quod vitare nullatenus nos posse arbitramur. Ex spe autem non semel excitatur audacia, seu animi conatus vel ad comparandum bonum acquisitu difficile, vel ad repellendum malum vitatu difficile.

§. 6. Hisce undecim præcipuis passionibus non immerito a quibusdam adjungitur admiratio, seu subitanea animi occupatio ad attente considerandum objecta, quæ ipsi rara videntur, et extraordinaria. Quia tamen aliquando admiratio locum habet antequam appareat, utrum objectum sit nobis conveniens nec ne, ideoque amore vel odio dignum, non semper ex admiratione vehemens in corde ac sanguine fit immutatio, sed solum in spiritibus animalibus, quorum opera ob nexum inter animam et corpus necessaria est ad magnam attentionem producendam, augendam, retinendam, ideoque jure a Malebranchio admiratio dicitur passio imperfecta.

§. 7. Ex undecim præcipuis passionibus (§. 5.) memoratis aliæ fere immemorabiles derivantur (quas mixtas ex illis 11, appellant), potissimum vero zelotypia, æmulatio, indignatio, invidentia, commiseratio; pudor, impudentia, et pœnitentia, quarum solas definitiones brevitatis gratia trademus.

§. 8. Itaque zelotypia ex amore, cupiditate, ac metu proveniens est anxia, et sollicita cura conservandi bonum, quo magnopere delectamur, simulque timemus, ne illud nobis eripiatur ab alio, quem idcirco plus minusve odio habemus.

§. 9. Huic affinis est æmulatio, seu animi dolor, quem quis experitur, dum animad-

vertit, se vel omnino, vel ex parte alterius honis, vel perfectionibus carere, simulque sperat, et conatur æqualia, aut etiam superiora sibi comparare. Hinc hujusmodi passio mixta est ex tristitia, metu, et audacia.

§. 10. Similiter passiones mixtæ sunt indignatio, invidentia, et commiseratio, quæ ad invicem confundi non debent. Indignamur enim erga eum, qui bene, vel male facit indignis, invidemus indigno, qui bonum accipit, miseremur ejus, cui malum infertur immerenti. Quin imo nec ira stricte loquendo confundenda est cum indignatione: illa enim, ut vidimus (§. 5.), oritur ex malo, quod ab alio nobis infertur, hæc vero ex malo vel bono ab alio in immerentes quoscumque diffuso. Porro invidentia ex tristitia et odio mixta definitur a Tullio *Tuscul. Quæst. Lib.* 4. *Cap.* 8. « ægritudo suscepta propter alterius res secundas, quæ nihil noceant invidenti ». Si enim (prosequitur Tullius) quis doleat ejus rebus secundis, a quo ipse lædatur, non recte dicitur invidere.» Commiseratio vero seu misericordia mixta ex amore ac tristitia, ibidem ab eodem Tullio definitur: « ægritudo ex miseria alterius injuria laborantis ». « Nemo enim, inquit, parricidæ aut proditoris supplicio misericordia commovetur ».

§. 11. Denique pudor, qui nos persæpe ab agendo retrahit, est species tristitiæ ortæ ex

amore nostri, et metu vituperii, pœnitentia vero est alia species tristitiæ qua dolemus, aliquid a nobis factum esse vel omissum. Nihil hic de impudentia dicimus, qua quis aliorum de se judicium vel bonum, vel malum perfracte contemnit, quia non humanus affectus nobis videtur, sed vitium teterrimum, quod teste Tullio *Lib. 1. de Officiis N.* 94. non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.

CAPUT III.

De Humanorum affectuum Necessitate, et Utilitate.

§. 12. Humani affectus generatim spectati excitantur in sensitivo hominis appetitu ab impressionibus, quas externa objecta in ejusdem hominis corde, sanguine, ac nervis producunt. Jam vero sensitivus appetitus in homine nil aliud est, nisi anima rationalis, quæ vi nexus animam inter et corpus corporeis motibus afficitur. Dubitari ergo non potest, quin plerumque saltem initio humani affectus non liberi sint, sed necessarii. Non enim est in potestate rationis motus omnes cordis, sanguinis, et nervorum impedire; quamvis possit, imo debeat (§. 4.) affectibus, qui apparent inordinati, assensum denegare, et plura media de quibus infra, usurpare ad illos pro

viribus reprimendos, potissimum vero attentionem ad alia objecta convertendo. Atque hic opportuna se præbet occasio animadvertendi, affectus, et passiones non raro in anima excitari a phantasia, seu imaginatione, quæ vim habet veluti præsentia repræsentandi objecta, quæ revera præsentia non sunt; ideoque motus in anima et in corpore producendi omnino similes iis, qui ab iisdem objectis producerentur, si forent præsentia.

§. 13. Quid ergo dicendum de opinione Stoicorum docentium, affectus omnes esse extirpandos? In primis ex modo dictis luculenter apparet, hanc doctrinam ad praxim reduci nullatenus posse. Deinde vel affectuum nomine solos immoderatos affectus intelligunt Stoici, et hos viriliter esse reprimendos, omnes uno ore fatentur, vel animi motus intelligunt, qui ad rationis normam componi possint, et hos hominibus maximam utilitatem afferre, proindeque non esse extirpandos, facillime demonstratur. Siquidem ex una parte nec ratio, nec Religio Christiana prohibet, quominus homo cum debita divinæ voluntati submissione propriæ vitæ conservationem, firmam corporis valetudinem, bonam apud alios famam, discretam bonorum fortunæ copiam, sinceros fidelesque amicos, et alia id genus vitæ commoda expetat, nec non moderatam ex possessione lætitiam, ex omissione mæstitiam capiat; ex

alia vero parte affectus hujusmodi solertiores nos efficiunt ad hæc bona vel conservanda, vel acquirenda, dum contra si præfatis bonis nullatenus homines tangerentur, aut moverentur, nullam de iis curam haberent cum gravissimo humanæ societatis detrimento. Item tot inter pericula physica, et moralia, quibus in hac vita circumdamur, affectus efficit procul dubio, ut perpetuo ad illa fugienda vigilemus. Ira insuper (quæ personale odium, et vindictæ desiderium excludat) non parum prodest ad injustas malignorum hominum aggressiones propulsandas. Pudor, quem ex pravis nostris actionibus experimur, mirifice inservit ad nos ab illarum repetitione avertendos. Spes denique, ut alios affectus omittam, in hujus vitæ miseriis non parum nos recreat, et ad virtutis quamvis arduæ exercitium indesinenter extimulat. Patet ergo, affectus a ratione directos et ordinatos utillimos esse. Boni quidem, et mali judex est ratio; at ubi ratio de objecti bonitate vel malitia sententiam tulit, rationi præstolantur affectus ejusdem rationis imperio gubernandi. Hinc si objectum aliquod nos ex. gr. admiratione percellat, ratio jubet, ut illud majori attentione contemplemur, ex qua contemplatione si bonum appareat, fit, ut illud amemus, et prosequamur, si vero malum, odio habeamus et fugiamus.

CAPUT IV.

De Humanorum affectuum impetu, perversitate, ac modis illos intra debitos fines coercendi.

§. 14. Quamvis humani affectus generatim spectati utillimi sint, eo tamen impetu aliquando agunt in animam, ut si hæc totis viribus illos intra debitos fines coercere non curet, perversi evadant, et perniciosissimi. Sic quamvis per se bonus sit amor parentum uxoris, filiorum, etc. si tamen hic amor debitum ordinem, ac modum excedat, facillime hominem aliquibus in circumstantiis inducet ad pejerandum, furandum, occidendum, et alia facinora vel Deo injuriosa, vel hominibus exitiosa perpetranda. Idem dic de reliquis affectibus, potissimum vero de odio, ira, zelotypia, et emulatione. Rectæ rationis ergo, quæ tanquam regina in homine sedet, munus est affectus moderari, eosque efficaciter prohibere, quominus extra debitos fines prosiliant. Id autem generatim obtinebit, si attente ac morose quoad fieri potest consideret circumstantias omnes antecedentes, concomitantès, et consequentes actionum, ad quas rapit præsens affectus, et ex hujusmodi consideratione affectum præsenti affectui contrarium excitare conetur, fugiendo insuper pro viribus occasionem quamlibet primum af-

fectum renovandi, aut acuendi. Ex una enim parte nulli, ut ait Seneca *Epistola* 116. nulli sunt tam feri, suique juris affectus, ut non disciplina perdomentur. « Ex alia vero fieri nullatenus potest, ut duobus contrariis affectibus simul indulgeamus. Sic ad iram ex. gr. temperandam non parum conducet 1. habitum contrahere non statim ea exequendi, quæ ipsa ira suggerit, sed eidem dandi spatium, tenuemque moram, ut monet Statius *Thebaid. lib.* 10.; 2, cogitationem ab acceptis injuriis avertere, animumque aliis ideis distrahere atque oblectare; 3. denique sedulo perpendere pessimos iræ effectus, jam indicatos in *Nota* 1. §. 82. nostrarum Institutionum.

§. 15. Similiter amor cum oriatur ex eo quod in alio perfectionem aliquam deprehendamus, ex qua voluptatem percipimus, extinguetur procul dubio, vel saltem remissior fiet, si animadvertatur, vel perfectionem illam revera non adesse, vel ita esse comparatam, ut voluptas inde percipienda constans et perpetua esse non possit, in molestiam aliquando degeneratura, multoque magis si vitia et imperfectiones amati objecti sedulo perpendantur, et sic odium excitetur non quidem in personam, sed in vitia, et imperfectiones quibus laborat: qui tamen omnes conatus ut plurimum inutiles erunt, nisi objecti amati præsentia, et cogitatio pro viribus devitetur.

§. 16. Amoris, ut inquit Clarissimus Renazzi *Elemen. Juris Criminalis lib.* 1. *cap.* 1. §. 1. importuna comes solet esse zelotypia, suspiciosa animi dispositio umbris dare corpus idonea . . . . . et in extrema desperationis ac furoris adigere potens quicumque inconsulti facilem ei animum præstant. Testis Radamistus, qui præ suspicione, ne Zenobia uxor prægnans, et fugæ impar, quam perdite deperibat, in hostium potestatem veniret, transfodit, et in Araxem provolutavit. At quæcumque sint Zelotypiæ vires (prosequitur Renazzi) quicumque impetus, eam tamen avertere, atque etiam restinguere prudenti non impossibile, vel male sano ac impotenti amori, unde plerumqne ortum habet, sedulam curam adhibendo, vel animadvertendo, zelotypiam mala, quæ in tantum timet, accelerare. Imo fere omnia iræ remedia, et ad zelotypiæ affectus impediendos comparata sunt.

§. 17. Odium etiam vel extinguetur, vel minuetur, si animum quoad fieri potest avertamus ab alienæ imperfectionis idea, quæ tædio et molestia nos afficit, et ad ea consideranda potissimum convertamur, quæ in aliis bona sunt.

§. 18. Æmulatio denique impedietur, ne in invidiam degeneret, seu tædium alienæ felicitatis, ex eo quod illa nos carere judicemus, si consideremus 1., falsa ut plurimum esse judicia de aliena felicitate; 2. veram fe-

licitatem a nullo creato bono produci posse; 3. alienam partialem felicitatem nullatenus officere, quominus in alio genere nos quoque partialem felicitatem consequamur; 4. tandem invidiæ turpitudinem, et damna, quæ invido affert.

§. 19. Verum præter hæc generalia remedia, in singulorum hominum affectibus temperandis considerari maxime debet uniuscujusque indoles. Cum enim (inquit Clarissimus Jacquier *Philosoph. Moral. Part.* 2. *sect.* 2. *Cap.* 2.) experiamur, homines ad diversos affectus, vel natura, vel consuetudine propensiores esse, ad singulares homines flectendos, iis utendum est affectibus, ad quos magis proni deprehenduntur. Ita si aliquis fuerit ad metum facilis, ei repræsentanda sunt pericula ex actionibus malis timenda.

§. 20. Nec prætereundum cum eodem Jacquier *ibidem*, omnibus naturalibus remediis ad humanos affectus moderandos infinite efficaciorem esse gratiam divinam, quæ proinde omnibus vitæ momentis, omni studio et conatu, continuisque nec intermissis præcibus flagitanda, quin tamen deserantur humana subsidia, quæ labore, et exercitatione comparantur, quæ ex nostræ indolis natura desumuntur. Deus enim juxta vulgatissimum Theologorum adagium « facienti quod est in se non denegat gratiam ».

APPENDIX II.

DE DIVINAE REVELATIONIS POSSIBILITATE AC NECESSITATE.

§. 1. Divinæ Revelationis nomine intelligitur manifestatio aliquarum veritatum divinitus facta. Porro e veritatibus, quas Catholici docent divinitus hominibus manifestatas, proindeque revelatas, nonnullæ sunt etiam solo naturali lumine cognoscibiles, ut existentia, et unitas ipsius Dei, aliæ autem humanæ rationis captum omnino excedunt, ut Sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis mysteria. Jam vero primi generis veritatum divinam revelationem inutilem esse contendunt recentiores Deistæ, secundi autem generis prorsus impossibilem. Nos contra revelationis divinæ utriusque generis veritatum possibilitatem simul, et necessitatem brevissime demonstrare satagemus.

§. 2. Ac primo quidem cum humana ratio sit admodum limitata, divinus vero intellectus prorsus illimitatus, et infinitus, dubitari profecto non potest, quin Deo notæ sint plu-

rimæ veritates, quæ humanæ rationis captum omnino excedant. Quid autem prohibet, quominus Deus hujusmodi veritates, et illas etiam, quæ sunt solo naturali lumine cognoscibiles, hominibus manifestare dignetur? Imo quid magis decet divinam bonitatem essentialiter sui diffusivam? Utriusque ergo generis veritatum divina revelatio est procul dubio possibilis.

§. 3. Nec dicat Rousseau: « È impossibile il credere misterj (*Emil. Tom.* 2. *pag.* 322.), Dio non puo rivelarci, e noi non possiamo credere, se non ciò che è dimostrato vero, (*Epistola ad Archi-Episcopum Parisiensem*); ex quo infert (*Emil. Tom.* 1. *pag.* 179. *Tom.* 2. *pag.* 321. *et alibi*) pueros ante perfectum rationis usum utpote incapaces demonstrationum vim attingendi, nulla Dei, futuræ vitæ, ac morum ideis esse imbuendos. Il Dio, che adoro, non è un Dio di tenebre; Egli non mi ha dotato d'intendimento per proibirmene l'uso: il dirmi, che sottometta la mia ragione, è un oltraggiare il suo Autore (*Emil. Tom.* 3. *pag.* 139.): crederei piuttosto alla magia, che riconoscere la voce di Dio negl' insegnamenti, che sono contro la ragione (*Epistola mox Citata*). In primis enim mysteria, quæ divinitus revelata esse contendimus, non sunt contra rationem, hoc est rationi repugnantia, sed supra rationem, hoc est limitatum humanæ rationis captum excedentia. Deinde

plures veritates etiam solo naturali lumine cognoscibiles, ut Dei existentia, unitas, immensitas, libertas simul, et immutabilitas, summa simul bonitas, et summa justitia itemque animæ humanæ spiritualitas, libertas, immortalitas, et commercium animæ cum corpore, ac denique rei cujuslibet creatio adeo gravibus objectionibus impeti possunt, ut prima fronte insolubiles videantur; ideoque theses hujusmodi objectionibus impetitæ absurdæ appareant, quin tamen de illis thesibus dubitare ullatenus liceat, ut patet ex ejusdem Rousseau confessione, qui (*Emil. Tom.* 3. *pag*. 88. *et Epistola super citat. pag*. 54.) postquam nostras ideas de Dei intelligentia, potentia, et justitia obscurissimas et imperfectissimas esse pronunciavit, subdit: « Che se giungo a scuoprire successivamente questi attributi, de' quali non ho alcuna idea assoluta, ciò succede per via di conseguenze sforzate, per via del buon uso di mia ragione: ma le affermo senza comprenderle. Ho un bel dire a me stesso: Dio è così: io lo sento, io me lo provo; non concepisco però meglio, come mai può esser così. Finalmente quanto più mi sforzo di contemplar la sua essenza infinita, tanto meno la concepisco. Ma Ella è: questo mi basta. Quanto meno la concepisco, tanto più l'adoro. Mi umilio, e gli dico: Essere degli Esseri, io sono perchè voi siete: è un sollevarmi alla mia sorgente il me-

ditarvi continuamente. L'uso più degno della mia ragione è l'annichilarsi alla vostra presenza. « Nec prætereundæ phrases quas idem Rousseau de Deo loquens adhibet (*Emil. Tom.* 2. *pag.* 214. *et Tom.* 3. *pag.* 58.), nimirum: « Si fa veder la sua opera, ma l'operator si nasconde. S'invola ugualmente a' miei sensi, ed al mio intendimento ».

§. 4. Ex hac porro luculentissima nostri adversarii confessione, sic ad hominem contra ipsum argumentatur Bergier in opere cui titulus: *Il Deismo confutato da se stesso*: « Secondo voi, e secondo la verità noi non possiamo comprendere gli attributi di Dio; eppure egli ce li ha rivelati, la sacra Scrittura li pubblica, e li celebra in mille luoghi, e gli uomini non ne hanno mai avuto una idea giusta, se non dopo che Iddio li ha rivelati. Iddio dunque può rivelarci ciò, che noi non possiamo comprendere. Vi sono altresì molti suoi attributi, che ci pare cosa impossibile il conciliarli insieme, e che ci sembrano contradittorj. Per esempio la libertà di Dio colla sua immutabilità; la semplicità della sua natura, e la sua immensità; la sua infinita bontà, e la sua giustizia. Eppure Dio ce li ha rivelati: la Scrittura è quella, che ce l'insegna, ed intorno a questi oggetti non hanno fatto altro i Filosofi, che balbettare. Può dunque Dio rivelarci ciò che sembra contradittorio, ciò che sconvolge la nostra ragione ».

§. 5. Nec etiam dicat Rousseau : « Dio non può insegnarmi ciò che non posso comprendere, ciò che contradice alle mie idee, ciò, che mi sembra assurdo ». Huic enim objectioni respondebimus cum prælaudato Bergier. « Essendo Dio infinito, ed io limitato, non posso comprendere tutti i suoi attributi, e le loro relazioni; tutte le sue opere, e la loro natura; tutti i suoi decreti, e le loro cause; ovvero non posso concepire tutto ciò, che egli è, ne in che modo lo è, tutto quel ch' Egli ha fatto, nè in che modo lo ha fatto; tutto ciò che vuole, nè perchè lo vuole: questa è vostra medesima confessione. Dunque se Dio giudica a proposito d'insegnarmi qualche cosa intorno alle sue perfezioni, alle sue opere, alle sue volontà, il ricusare di crederlo perchè non le comprendo, perchè contradice alle mie idee (col nome d'idee i filosofi intendono solamente le nozioni chiare, ed evidenti; nel linguaggio ordinario significa ogni sorte di nozione chiara, o oscura, vera, o falsa; e qui si prende in quest'ultimo senso) è un offendere di fronte la ragione, ed il buon senso ».

§. 6. At impossibile prorsus est, reggerit Rousseau, Deum expedientem judicare manifestationem veritatum, quas ego comprehendere non possum, quæ sunt meis ideis contradictoriæ, et quæ mihi videntur absurdæ. Siquidem: « Dio è quegli, che mi ha dato la ragio-

ne. Egli me l'ha data, affinchè sia la mia guida: se egli mi obligasse a contradirle, contradirebbe a se medesimo ». Hujus objectionis præmissæ veræ utique sunt, sed ex iis non recte deducitur consequentia. Nam: « Forse mi ha promesso Dio (inquit laudatus Bergier) che con questa guida (della ragione), io vedrò chiaramente per tutto, che non avrò mai bisogno di altro lume? Ha egli con ciò rinunziato al dritto d'insegnarmi cose, nelle quali la mia ragione non vede altro che oscurità, e che le compariscono assurde? Questo è ciò, che tutti i partigiani dell'incredulità non hanno ancora provato ». Præterea: « nelle cose ancora naturali, dove Dio ci ha dato per unica guida la ragione, vi sono alcune circostanze, nelle quali non possiamo ragionevolmente ricusar di credere ciò, che non comprendiamo, ciò che ci sembra assurdo, ciò che sembra rinchiudere contradizione (idque probat Bergier exemplo cæci nati, qui nonnisi per summam stultitiam, quæ ab aliis omnibus hominibus asseruntur de coloribus, eorumque proprietatibus, credere recusaret. Melius tamen fortasse idipsum probaretur ex communi persuasione de commercio animam inter et corpus, quamvis nemo unus intelligat, quomodo hæ duæ substantiæ in se invicem agant). Dunque con maggior ragione nelle cose soprannaturali, nelle cose di Dio noi siamo obbligati a far lo stesso. Dio dunque può esiger questo da Noi. » ..

§. 7. Reliquas nunc Rousseauii objectiones una simul colligamus ac breviter diluamus: « Non si può autorizzare (*inquit Emil. Tom.* 3. *pag.* 143., *et* 145.) un' assurdità sulla testimonianza degli uomini . . . . . sarebbe questo un sottomettere all' autorità degli uomini l'autorità di Dio, il quale parla alla mia ragione. Chi preferirò io (*Emil. Tom.* 3. *pag.* 140.) nel credere? Dio, che m' insegna per via della ragione le verità eterne, o voi, che mi annunziate da sua parte un assurdità? . . . . Di qual genere saranno le vostre prove per convincermi, esser cosa più certa, che Dio mi parli per la vostra bocca, che con l' intendimento, che mi ha dato? Ogni Dottrina (*Emil. Tom.* 3. *pag.* 137.) che viene da Dio, dee portare il sacro carattere della divinità: non solo dee la medesima schiarire le idee confuse, che forma il raziocinio nella nostra mente; ma dee altresì proporci un culto, una morale, e massime convenienti agli attributi, per mezzo dei quali noi solamente concepiamo la sua essenza. Se dunque questa dottrina non c'insegnasse altro, che cose assurde, e senza ragione; se Ella non c' ispirasse se non sentimenti di avversione per quei, che sono simili a noi, e di spavento per noi medesimi; se Ella non ci dipingesse se non un Dio collerico, geloso, vendicativo, parziale, che odia gli uomini, un Dio di guerra, e di battaglie sempre pron-

to a distruggere, ed a fulminare, che sempre parla di tormenti, e di pene, e che si vanta di punire ancora gl' innocenti, il mio cuore non sarebbe tirato verso questo Dio terribile, e mi guarderei di abbandonare la Religione naturale per abbracciar quella. Il vostro Dio non è il nostro, dirò io ai suoi seguaci. Colui, il quale comincia a sceglìersi un sol popolo, ed a bandire il resto del genere umano, non è il padre comune degli uomini. Quello, che destina agli eterni supplizj il numero più grande delle sue creature, non è quel Dio Clemente, e Buono, che mi ha mostrato la mia ragione. Rispetto ai dogmi la ragione mi dice, che debbono esser chiari, luminosi, e che feriscano colla loro evidenza ».

§. 8. Hisce objectionibus opponimus inprimis ejusdem Rousseauii, postea vero Scriptoris illi non suspecti, nempe Baylii auctoritatem. Prior *Emil. Tom.* 3. *pag.* 91., inquit « Troppo spesso la ragione c' inganna. Pur troppo abbiamo acquistato il diritto di rigettarla »; Et *pag.* 48. « I termini della metafisica non hanno fatto mai scuoprire una sola verità »; et *pag.* 30.: « Le objezioni insolubili sono comuni a tutti i sistemi ». Alter vero *in responsione ad quæstiones provincialis. Tom.* 3. *Cap.* 161. ait: « In un certo senso non si dà fede meglio stabilita sulla ragione di quella, che è stabilita sulle ruine

della ragione. Mi spiego. Non si da verità più certa di questa : *La testimonianza di Dio si dee preferire a quella degli uomini*: se si conchiude da questo : *non v' è cosa dunque più ragionevole che credere piuttosto ciò che dice Dio, che ciò che suggerisce il lume naturale; conviene dunque abbandonare ciò, che esso suggerisce, che non si accorda con la santa scrittura*: non si stabilisce il suo Cristianesimo sopra una massima della ragione delle più evidenti? Si calpestino quanto si vuole, se è necessario, tutte le altre massime della ragione: ne seguirà egli, che si stabilisca la sua fede sulle ruine della ragione: e se si vuol concedere questa conseguenza, per non rendersi scrupoloso intorno ai termini, non si potrà egli sostenere, che un Cristianesimo stabilito in questo senso sulle ruine della ragione è il vero Cristianesimo, il Cristianesimo più ragionevole?»

§. 9. Deinde quamvis ex Apostoli præcepto captivandus sit intellectus in obsequium fidei, idem tamen Apostolus prohibet, ne credamus omni spiritui, seu omni verbo, quod nobis ceu divinum proponitur, et vult, obsequium nostrum esse rationabile petitum scilicet ex motivis, quæ vulgo dicuntur credibilitatis, et evidentissime sacrum divinitatis characterem exhibent. Hujusmodi sunt omnimoda puritas, et sanctitas doctrinæ moralis, veri no-

minis miracula, seu prodigia totius creatæ naturæ vires excedentia patrata in assertæ revelationis confirmationem, veri nominis prophetiæ, quarum exitus nullo naturali modo prænosci poterat, adamussim impletæ, innumerabilis numerus martyrum cujuscumque sexus, gradus, et conditionis, qui proprio sanguine assertæ revelationis veritatem contestati sunt, ac denique rapidissimam assertæ doctrinæ revelatæ, quæ carni et sanguini bellum indicit, suadetque voluptatum fugam, et mundi contemptum, per universum orbem propagatio non eloquentiæ, aut armorum vi, sed simplicis prædicationis habitæ ab hominibus rudibus, pauperibus, despectis, quos ad necem usque cujuscumque gradus et conditionis Judæi, atque Gentiles jugiter persequebantur. Hæc porro propagatio adeo admirabilis visa est Augustino, ut iis, qui Christianam religionem veri nominis miraculis confirmatam fuisse denegabant, reponere non dubitaverit: « hoc ego dixero maximum miraculum, quod mundus sine ullis miraculis credidit: » Non ergo qui divinam revelationem in sacris litteris contentam admittunt, testimonium hominum accipiunt, illudque Dei testimonio præferunt, sed accipiunt ipsius Dei testimonium signis evidentissimis manifestatum. Cum autem in sacris litteris divina auctoritate constitutum inveniatur, (ut invicte, de-

monstrant Theologi) ad controversias, quæ circa veritates revelatas insurgere possunt, dirimendas, unum *saltem* tribunal prorsus infallibile, nempe corpus Episcoporum Romano Pontifici supremo Ecclesiæ capiti conjunctorum, dubitari etiam non potest, quin hujusmodi tribunalis decisionibus adhærentes non humanum, sed divinum quamvis per homines tanquam præcones pronunciatum testimonium accipiant, et sequantur.

§. 10. Nec Deum dedecet revelare veritates obscuras, quarum scilicet ratio et modus a nobis non agnoscatur: hoc enim necessario provenit non ex intrinseca ipsarum veritatum natura, sed ex nostri intellectus limitatione, vi cujus rationem quoque ac modum plurium naturalium veritatum ignoramus.

§. 11. Denique divina revelatio quæ in utriusque testamenti paginis continetur, Deum nobis exhibet longe diversum ab eo, quem impudentissime pingit Rousseau. In iis enim passim nobis commendatur amor proximorum, imo etiam inimicorum, ita tamen ut quos adversarios in via Dei patimur, odiendo, et fugiendo nesciamus. Passim insuper Deus dicitur unicuique sine personarum acceptione redditurus juxta opera sua, ita tamen ut misericordia superexaltet judicium. Et hoc procul dubio sensu accipi debent nonnullæ phrases, quibus enunciatur, Deum esse zelotem,

irasci, et vindictam sibi reservare: pluries etiam in veteri Testamento dicitur Deus exercituum, tum quia ut plurimum Deo jubente ac dirigente a Judæis bella gerebantur; cum etiam quia ipse potissimum in quovis bello est victoriæ largitor secundum suæ sapientiæ, ac justitiæ decreta. Nec divinæ sapientiæ, bonitati, et justitiæ ullatenus officit, quod peculiarem in veteri Testamento sibi populum elegerit, in quo veræ fidei depositum sartum tectumque servaretur, dum aliæ gentes præjudiciis, et inordinatis affectibus excœcatæ Polytheismum rationi omnino contrarium profitebantur, ac turpissima vitia falsorum Deorum exemplo quodammodo consecrabant. Ex hoc enim non sequitur, Deum aliis gentibus denegasse auxilia saltem sufficientia ad veram naturalem religionem agnoscendam, et naturalis legis præcepta observanda. Hæc porro illis non defuisse, patet ex historia Job, qui tametsi habitaret extra Judæam, nempe in terra Hus, rectus tamen asseritur, ac timens Deum, et recedens a malo, itemque ex historia Cornelii Centurionis, qui *Act.* 10. *V.* 2. dicitur: « vir religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper »: Obmutescat ergo Rousseau, et divinam revelationem impossibilem affirmare tandem aliquando desistat.

§. 12. Sed fateatur etiam oportet, divinam revelationem hominibus præsertim in actuali statu naturæ lapsæ fuisse semper, et esse necessariam: 1., ad verum humanarum actionem finem determinate cognoscendum, ut patet ex veterum Philosophorum opinionibus hac in re prorsus discordibus: 2., ad internum externumque cultum, qui Deo placeat eidem exhibendum, circa quem omnes fere veteres populi, imo et philosophi turpiter errarunt; 3. ad accuratam collectionem efformandam naturalium omnium officiorum. Quamvis enim singula hæc officia divisim accepta solo naturæ lumine cognosci possint, nemini tamen philosophorum hactenus usuvenit morales institutiones tradere ab omni prorsus errore defæcatas. Et re quidem vera nonulli Philosophi, ut vidimus *Lib. I. et II.* nostrarum Institutionum, moralitatem omnem, omnemque justitiam ab hominum pactis et conventionibus unice repetunt: alii jus fortiôris unice agnoscunt; alii omnia naturalia officia a sola privata utilitate repetunt; alii suicidium; alii fornicationem; alii deformium filiorum expositionem licitam affirmant. Divinus ipse Plato in suis libris de Republica uxorum comunionem introducere conatus est; 4. ad omnia naturalia officia efficaciter insinuanda, nedum excultis, sed etiam rudibus hominibus qui philosophicas demonstrationes attingere nullatenus possunt; 5. ad perfectam legis naturalis

sanctionem omnibus certo manifestandam; 6. denique ad modum indicandum, quo peccator possit cum Deo reconciliari. Solis enim naturæ viribus nequit homo condignam Deo satisfactionem pro peccatis admissis rependere, illumque sibi reconciliare.

§. 13. Quid ad hæc Rousseau?: « Se la Religione naturale è insufficiente, ciò nasce dalle grandi oscurità nelle grandi verità, che c'insegna. Tocca alla rivelazione d'insegnarci queste verità in una maniera sensibile alla mente dell'uomo, di adattarle alla sua capacità, di fargliele conoscere affinchè le creda. La migliore di tutte le Religioni è infallibilmente la più chiara (*Emil. Tom.* 3. *p.* 138) », quæ verba his aliis æquivalent: « juxta Catholicos, divina revelatio necessaria est ad supplendum Religioni naturali. Divina ergo revelatio quascumque obscuritates dissipare debet: sed revelatio, quam Catholici admittunt, has non dissipat. Ergo non est illa, qua indigemus ».

§. 14. Huic etiam objectioni respondet Bergier dicens: « Concedo, che la rivelazione dee dissipare le oscurità della Religione naturale per quanto a lei è possibile, e per quanto può permettere una ragione essenzialmente ristretta, come la nostra. Ma sostengo esser cosa impossibile (attenta rationis nostræ limitatione) che totalmente le dissipi. Aggiungo ancora, che una cognizione delle verità eterne tanto chiara quanto la domandate, è incompa-

tibile con lo stato di prova, nel quale dobbiamo essere sulla terra. Sarebbe cosa tanto ingiusta il richiedere quaggiù una vista senza nuvola della divinità, e de' suoi disegni, quanto il volervi godere le ricompense della virtù, ed un perfetto impero sopra noi medesimi: voi riconoscete l'ingiustizia di questo desiderio (*Emil. Tom.* 3. *Pag.* 78). La fede deve essere un omaggio libero e volontario del nostro spirito alla suprema autorità di Dio: la cognizione chiara e perfetta de' suoi attributi non lascerebbe più alcun luogo al merito: Ella conviene totalmente allo stato di comprensore, ed all'anima spogliata dai legami del corpo . . . . I misterj erano necessarj. Conveniva di farci conoscer meglio la natura divina; ora questa natura è essenzialmente incomprensibile, perchè Ella è infinita. « Il nostro intendimento ristretto non concepisce niente senza limiti: tutto ciò, che si chiama infinito ci fugge » *Emil. Tom.* 3. *Pag.* 80. Questa è la vostra propria riflessione. La rivelazione più chiara non può dunque assolutamente farci concepire perfettamente tutti gli attributi divini. Se fossimo Angeli, neppure allora comprenderemmo la natura divina. Dio solo può comprendere se stesso. Conveniva svelarci l'economia della provvidenza, e della vita futura, vale a dire i decreti della Santità, e della giustizia di Dio: se questi attributi sono per se stessi incomprensibili, come può la rivelazione

metterci in istato di penetrar le leggi che ne debbono dipendere ? Non converrà sempre esclamare con voi *Emil. Tom.* 3. *Pag.* 84 O Essere clemente e buono, quali siano i tuoi decreti, io li adoro: se tu punisci i cattivi, annichilisco la mia debole ragione davanti alla tua giustizia ». Era necessario insegnarci a rendere a Dio un culto degno di lui. Questo culto non può essere, se non un perfetto omaggio di tutte le nostre facoltà, e per conseguenza della nostra ragione. Voi confessate, che l'uso più degno, che ne possiamo fare, è di annichilarla dinanzi a Dio. Conveniva dunque, che Dio ci rendesse necessaria questa annichilazione con rivelarci verità incomprensibili. Conveniva impedire, che noi ci smarrissimo di nuovo: per quanto può essere illuminata la ragione, non è mai infallibile: gl'ingegni più grandi sono caduti ne' più grandi errori. Bisognava dunque metterci nella necessità di riposarci totalmente sull'autorità divina, obbligandoci a creder dogmi, de' quali Ella sola ci potesse sostenere la verità. Bisognava interessarci col sentimento, attaccarci a Dio per amore, e per sentimento; e vi è forse un solo de' nostri misterj, che non produca quest'effetto ? Tre persone divine occupate intorno alla nostra salute. Un Dio rivestito della nostra natura, e sacrificato per noi. Un Dio, che si dà a noi, e diviene nostro nutrimento. Ecco quel, che ha fatto de' santi. La Filosofia

indura il cuore, voi lo concedete *Emil. T.* 3. *Pag.* 183. *note* : era necessario di ammollirlo con la fede. Per dir tutto in una parola: Dio ha rivelato de' misterj: dunque erano necessarj. Che essi vi scandalizzino, o no, ecco dove è ridotta la questione. La rivelazione Cristiana non è Ella stata utile al genere humano? Non ha posto nel maggior lume tutte le verità essenziali della Religione naturale? Presso tutte le nazioni, che la seguitano, il popolo non è forse comunemente meno ignorante di quel che era una volta, e di quel che era ancora presso i barbari, e gl' infedeli? Se voi lo negate, non sarà difficile il provarlo con le vostre parole. La rivelazione Cristiana ha dunque prodotto due grandi effetti, per i quali Ella era necessaria. Ella ha dissipato l'ignoranza, ha diminuito infinitamente gli errori ed i vizj. Potreste voi dire altrettanto del Maomettismo? La rivelazione Cristiana per conseguenza è quella, di cui avea bisogno il genere umano, e che Dio dovea dare. I pretesi inconvenienti non provano, che non sia vera questa rivelazione, præsertim cum omnibus omnino fulgeat motivis credibilitatis indicatis (§. 9.), ut invicte probant Theologi, et Rousseau ipse pluribus in locis fatetur dicens *Ep. p.* 208. « Io tengo per rivelata ogni dottrina, dove riconosco lo spirito di Dio ». Et *Pag.* 112. « Il Vangelo è una scrittura, che decide, e questa scrittura è nel-

le mie mani. In qualunque maniera vi sia venuta, e qualunque autore l' abbia scritta vi riconosco lo spirito divino » Et *Pag.* 116. « La maestà delle divine scritture mi fa stupire : la santità del Vangelo mi parla al cuore. Vedete i libri dei Filosofi con tutta la loro pompa : quanto sono piccoli a paragone di questo. Può egli essere, che un libro nel tempo stesso così sublime, e così semplice sia un opera degli uomini? Può egli essere, che colui di cui si fa la storia, sia un puro uomo? È questa la voce d'un Entusiasta, o d'un ambizioso settario? Che dolcezza, che purità ne' suoi costumi? Che grazia penetrante nelle sue istruzioni? Che sublimità nelle sue massime? Che profonda sapienza ne' suoi discorsi? Che presenza di spirito, che acutezza, che proprietà nelle sue risposte? Che impero sopra le sue passioni? Qual uomo, qual savio, può operare, soffrire, e morire senza debolezza, e senza ostentazione? Quando Platone dipinge il suo giusto immaginario coperto da tutta l' infamia del peccato, e degno di tutti i pregj della virtù, dipinge tratto per tratto Gesù Cristo . . . . . Che pregiudizj, che acciecamento non conviene avere per ardire di paragonare il figlio di Sofronisco col figlio di Maria? Che differenza fra l'uno, e l'altro. Socrate col morire senza dolore, senza ignominia sostenne con facilità il suo personaggio sino alla fine; e se questa morte facile non avesse o ..a

rata la sua vita, si dubiterebbe, se Socrate con tutto il suo spirito non fosse stato altro che un Sofista. Inventò egli, si dice, la morale. Altri l'aveano messa in prattica prima di lui. Egli non fece altro, che dire ciò, che quelli aveano fatto, e mettere in istruzioni i loro esempj. Aristide era stato giusto, prima che Socrate avesse insegnato, che cosa fosse questa giustizia. Leonida era morto per la sua patria, prima che Socrate avesse fatto un obbligo di amar la patria. Sparta era sobria prima che Socrate avesse lodato la sobrietà: prima che egli avesse definito la virtù, la Grecia abbondava d'uomini virtuosi. Ma dove mai Gesù Cristo avea preso tra suoi quella morale sublime e pura, di cui egli solo ci ha dato istruzioni, e, gli esempj? Dal seno del fanatismo più furioso si fece ascoltare la più alta sapienza, e la semplicità delle virtù più eroiche onorò il popolo più vile di tutti. La morte di Socrate nel filosofare tranquillamente co' suoi amici è la più dolce che si possa desiderare: quella di Gesù Cristo, che spira tra i tormenti, ingiuriato, vilipeso, maledetto da tutto un popolo è la più orribile, che si possa temere. Socrate nel prendere la tazza avvelenata benedice quello, che glie la presenta, e che piange. Gesù Cristo in mezzo ad un supplizio orribile prega per i suoi crudeli persecutori. Sì: se la vita e la morte d'un Socrate sono da un savio, la vita e la morte di Cristo sono da un

Dio. Diremo forse che la Storia del Vangelo è una piacevole invenzione? Eh! non s'inventa così, ed i fatti di Socrate, di cui nessuno dubita, sono meno attestati di quelli di Gesù Cristo ..... È più incomprensibile, che molti uomini si fossero accordati a formar questo libro, di quello che sia, che un solo ne abbia dato il soggetto. Gli autori giudaici non avrebbon potuto inventare nè questo tuono, nè questa morale; ed il Vangelo ha caratteri di verità così grandi, così luminosi, così impossibili ad imitarsi, che sarebbe più maraviglioso l'inventore, che l'Eroe.

§. 15. Qua igitur fronte idem Rousseau sibi contradicens *Emil. Tom.* 3. *Pag.* 165. *Ep. pag.* 108. profitetur, se in scepticismo involuntario sistere quoad evangelica dogmata, quæ incredibilia esse asserit, ac rationi repugnantia. Numquid aliud est evangelium dogmatum ab evangelio morum? Apage nugas.

§. 16. Rursus qua fronte idem Rousseau (*Emil. Tom.* 4. *Pag.* 46.) sequentes blasphemias evomere non dubitat? « Che una vergine sia la madre del Creatore, che abbia partorito un Dio, o solamente un uomo, a cui Dio si è unito, che la natura del padre, e del figlio sia la medesima, o solamente simile, che lo spirito preceda da uno di due, che sono il medesimo, o da tutti due unitamente, non vedo, che la decisione di queste questioni essenziali in apparenza, importi più alla

specie umana di quel che sia di sapere, in qual giorno della luna si dee celebrare la Pasqua, se conviene recitare il rosario, digiunare, mangiar di magro, parlare in Chiesa in latino, o in francese, ornar le mura con le imagini, dire o ascoltare la messa ec. « In primis enim si Rousseauji argumentum vim haberet, dici etiam posset, ut animadvertit Bergier: « Che Gesù Cristo sia l'inviato da Dio, ovvero Maometto, che egli sia il Messia aspettato dagli Ebrei, ovvero un impostore; che il Vangelo, o l'Alcorano sia un libro divino; che sia necessario esser battezzato, o circonciso, che si creda un solo Dio, o si ammettano divinità subalterne, che importa alla specie umana? Il medesimo uomo può essere senza pregiudizio de' costumi Cattolico a Roma, e Calvinista a Ginevra, Turco a Costantinopoli, ed Ebreo in Olanda, Idolatra a Pechino, e Cristiano a Parigi.... Non tocca a noi a giudicare, quali sono le verità essenziali alla Religione, quali le opinioni indifferenti. Tutto ciò che Dio ha rivelato è essenziale in questo senso, che non è mai lecito ad alcuno il rigettarlo o di dubitarne ». Atqui ex Rousseauji confessione Evangelium, in quo dogmata virginitatis Beatæ Mariæ, consubstantialitatis Patris cum filio etc. continentur, est procul dubio divinitus revelatum. Caussa ergo finita est: utinam aliquando finiatur error.

ERRATA				CORRIGE
Pag. 7	linea	4	alia	animalia
10		14	simus	sumus
15		12	Auttentotos	Huttentotos
16		27	penitus	penitius
25		16	habet	habent
43		23	vicinis	vicinis, qui
47		2	remetur.	meretur.
61		31	hæredes.	hæredem.
63		3	relinquerint	reliquerunt
68		11	esse	esse debere
114		1	Adebant	Addebant
139		13	percur-	præcur-

NIHIL OBSTAT

Fr. Ant. Franciscus Orioli Ord. Min. Conv. Cens. Theol.

NIHIL OBSTAT

Aloysius Parchetti Censor Philol.

IMPRIMATUR

Fr. Jos. M. Velzi S. P. A. M.

IMPRIMATUR

J. Della Porta Patr. Constantinop. Vicesg.

Di Enrico Pellicani

